
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
21 — II
21
ROMA

7

CONCUPISCENTIA OCULORUM

CONSIDERATIONE SERIA ELANGUESCENS,

Ex ſacris Litteris, Patribus, aliiſque Scriptoribus Eccleſiaſticis;

Omnibus Euangelicæ Doctrinæ Præconibus & Alumnis propoſita,

à R. P.

FRANCISCO BELLEGAMBE è Societate JESU.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. 1. Joan. 2.






INSULIS,

Typis FRANCISCI FIEVET, ad Biblia Regia in Ponte Finali. 1683.

Cum permiſſu & Privilegio.





JOSEPHO

Nobili genere, mente nobiliori, (a)
Filio David (b)
non tantùm carne,
ſed fide, ſed ſanctitate,
ſed devotione;
Quem,
tanquam alterum David,
Dominus invenit ſecundùm cor ejus,
cui tutò committeret
ſecretiſſimum atque ſacratiſſimum
ſui cordis arcanum: (c)
Virgini (d) Sponſo
Cuſtodi integerrimæ Virginitatis: (e)
VIRO MARIÆ,
de qua natus eſt
JESUS; (f)
Virtutum operatione, ſimillimo



(a) *Bern. hom. 2. ſup. Miſſus.* (b) *Matth.* 1.
(c) *Bern. ſuprà.* (d) *Hieron. contra Helvid.*
(e) *Greg. hom. 26. in Evang.* (f) *Matth.* 1.

Virgini Sponſæ ſuæ : (g)
per quam fuit ipſe virgo,
ut ex virginali conjugio
virgo Filius naſceretur: (h)
Cui beatiſſima Virgo
totum theſaurum cordis ſui
liberaliſſimè exhibebat : (i)
Supremo
Scalæ JACOB gradui,
Cui Deus & Dominus innixus eſt,
tanquam tutori pupillus,
ut eſſet Infantulo iſte pater optimus,
ut hujus ſolatio paterno
Puer cum Virgine puerperá ſuſtentaretur : (k)
VIRO FIDELI, (l)
Cujus fidei Spiritus ſanctus
Conjugem commiſit,
& de carne Virginis hominem formans,
ejus, qui naſcebatur, Infantis
amorem penitùs infudit : (m)
VIRO SAPIENTI, (n)
Cui Dominus dedit

(g) *Bernardin. Sen. ſerm. de S. Ioſ. ar. 2. c. 1.*
(h) *Hieron. ſuprà.* (i) *Bernardin. ſuprà.*
(k) *Rupert. l. 1. de gloria Filii hominis.*
(l) *Prov. 28.* (m) *Rupert. ſuprà.*
(n) *Eccli. 37.*

non ignarum esse mysterii,
quod nemo Principum hujus sæculi
agnovit:

Cui datum est,

quod multi Reges & Prophetæ
cùm vellent videre, non viderunt,
audire, & non audierunt;
non solùm videre & audire,
sed etiam portare,
deducere, amplecti, deosculari,
& nutrire & custodire: (o)

Fideli Servo & prudenti,

Qui panem vivum
è cœlo servandum accepit
tam sibi quàm toti mundo:
Quem constituit Dominus
suæ Matris solatium,
suæ carnis nutritium,
solum denique in terris
magni consilii coadjutorem fidelissimum: (p)

VIRO SINGULARI,

Qui Pater Domini
meruit appellari, (q)
& vocavit nomen ejus

(o) *Bernard. suprà.* (p) *Bernard. ibid.*
(q) *Hieron. suprà.*

JESUM: (r)
Cui subditus erat, (s)
sub quo curvantur qui portant orbem: (t)
FABRO FORTUNATO,
altissimi mysterii
scuto inexpugnabili; (u)
Qui gessit personam Dei Patris,
dum ejusdem Verbi incarnati
putabatur Pater: (x)
eum tulit, aluitque,
qui fabricatus est orbem, (y)
& implet omne animal benedictione: (z)
VIRO JUSTO, (aa)
Cui morienti
Christus & Virgo adstiterunt; (bb)
Cui
post Virginem Matrem
tota sancta Ecclesia
debet gratiam & reverentiam singularem: (cc)
inter PATRONOS mortalium
apud Deum efficacissimo
& præstantissimo: (dd)

(r) *Matth.* 1. (s) *Luc.* 2. (t) *Iob.* 9. (u) *Isid. Isolan. apud d'Argentan de B.V. tom.* 1. *confer.* 10. *art.* 1. (x) *Idem apud eundem ibid.* (y) *Iob.* 34. (z) *Ps.* 144. (aa) *Matth.* 1. (bb) *Hymn. Offic.* (cc) *Bernardin. sup. c.* 3. (dd) *Isolan. apud Biverum de privil. B.V. pag.* 637.

Cui pro nobis interpellanti
nihil negat, ſed omnia concedit
nunc in cœlis ad dexteram Patris
glorioſus exiſtens,
qui in hoc mundo vivens factus homo,
voluit ejus obedire mandatis: (*ee*)
Illi amabili & admirabili

PATRIARCHÆ,

dilecto Deo & hominibus,
cujus memoria in benedictione eſt:(*ff*)
ut avertat oculos meos,
ne videant vanitatem;
ibique cor meum figat,
ubi eſt theſaurus meus,

JESUS,

verus MARIÆ Filius,
JOSEPHI creditus:
ſupplex accido,
meque clientem dedico.

(ee) *S. Thereſia c. 6. vitæ ſuæ.*
(ff) *Eccli. 45.*



APPROBATIO
EX COMMISSIONE
ORDINARII.

LEgi, ex commissione Reverendi admodum Domini Vicarii Generalis, hunc Librum; & reperi, quòd in eo Concupiscentia oculorum consideratione seriâ elanguescens, ex sacris Litteris, Patribus, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis, præclarè exhibeatur. Prælo proinde dignum censeo. Datum Tornaci nonâ Augusti 1682.


A. DONNE'

S. T. L. Can. & Scholast. Ecclesiæ Cathedr. Torn.

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS.

EGo infra-ſcriptus Societatis JESU in Gallo-Belgica Provincialis, juxta Privilegium eidem Societati conceſſum, quo Typographis omnibus prohibetur, ne Libros ab ejuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione, imprimant; poteſtate ad hoc mihi factâ ab Admodum R. P. N. CAROLO DE NOYELLE Generali, facultatem do FRANCISCO FIEVET Typographo Inſulenſi, ut Librum, cui titulus eſt, *Concupiſcentia oculorum conſideratione feriâ elangueſcens*, à P. FRANCISCO BELLEGAMBE ejuſdem Societatis compoſitum, & Patrum ad id deputatorum judicio approbatum, ad ſex annos proximos imprimere, & liberè diſtrahere poſſit. In quorum fidem, has manu propriâ ſubſcriptas, conſueto Officii mei ſigillo muniendas curavi. Inſulis 14. Maii 1683.

BALDUINUS DESRUELLES.




INDEX.

CONSIDERATIONUM.

Ad majorem Dei gloriam, & Virginis sine labe conceptæ.



CONCUPISCENTIA OCULORUM CONSIDERATIONE SERIA ELANGUESCENS.



INTRODUCTIO
Ad sequentes Considerationes.



Oannes, *dilectus ille incarnatæ Sapientiæ Discipulus & Præco*, nos excitat & hortatur spiritali (*ut loquitur Cyprianus* (*a*) & cœlesti voce conteſtans: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. (*b*) Sed vis noſſe, *ait Bernardus*, (*c*) quis ſit qui diligat

(a) *De habitu virginum.* (b) 1. *Ioan.* 2.

mundum? Neque enim creaturas Dei juberis odisse; sed, quæ à Deo non sunt, ea diligere prohiberis. Quæ verò sint hæc, Joannes ipse loquatur, adjiciens: Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia ejus. (*d*) Viderit hîc quisque, cujus sit spiritûs, quid diligat, quid cupiat, quid sectetur. Ecce enim speculum veritatis; tantùm ne quis considerato vultu conscientiæ suæ prætereat, & qualis fuerit obliviscatur. (*e*) *Quid ex istis, quæ tota & sola in mundo sunt, concupiscentiis, boni esse; quid meritò amari queat? cùm ex eo, qui solus bonus est, & omne bonum est, non sint, sed ex mundo, qui, teste eodem Evangelico Scriptore*, totus in maligno positus est; (*f*) ac si dixisset, *ait sapientissimus Bellarminus* (*g*), capiti suo (*Satanæ*) adhæret, qui malignus per antonomasiam dicitur: sive in maligni dæmonis imperio & po-

(c) *Declam.* Ecce nos reliquimus. (d) 1. *Ioan.* 2. (e) *Bernard. sup.* (f) 1. *Ioan.* 5. (g) *De æterna felic. lib.* 2. *cap.* 12.

testate est. *Sunt igitur concupiscentiæ illæ tres fontes & radices, unde scaturiunt & pullulant tentationes & peccata, ut ex dilecto illo Apostolo docet Angelicus Doctor* (*h*); *& Augustinus* (*i*): Tria sunt ista, & nihil invenies, unde tentetur cupiditas humana, nisi aut desiderio carnis, aut desiderio oculorum, aut ambitione sæculi. Sunt hæ tres columnæ, *ait Didacus Stella*, (*k*) quibus mundus innititur. Nónne vides, quomodo istæ columnæ tremant, quibus mundus innititur? Et tu firmus stas, necdum fugis? Honores & vanitates cadunt, ac omni momento moventur.... Mutabiles sunt divitiæ, sensualitas, aliaque hujusmodi, & citò transeunt. Si itaque ipsæmet columnæ mundi ita tremunt, nónne periculosum est vivere in mundo adeò mutabili, & continuo motui subjecto? Fuge igitur, nisi velis cadat super te, & occidat. *Attamen* (*quæ perversa est mortalium cæcitas*) *quàm paucos ab amore mundi hujus nequam, fallacis, instabilis, vesanisq;*, quæ ex mundo sunt, concupiscentiis,

(h) 1. 2. *q.* 77. *a.* 5. *& alibi.* (i) *Tr.* 2. *in Ep. Ioan.* (k) *De contemptu mundi, l.* 2, *c.* 25.

ſeriò retractos alienoſq; videas ! ſunt hæc velut tria numina, in quibus colendis toti ſunt mundani homines, quibus ſe ſuaq; ſtudia omnia, curas, vitam, animamq; ipſam conſecrant vanitatum ſectatores; ut proinde meritò cecinerit quiſpiam :

Ambitioſus honos, & opes, & fœda voluptas:
Hæc tria pro trino numine mundus habet.

Queritur, & meritò ſtupet tantam hominum ſtoliditatem Bernardus, ſeu quicumque eſt author Sermonis de 5. negotiationibus : Aſpicio, *inquit*, genus humanum ab ortu ſolis uſque ad occaſum, hujus mundi nundinas perambulare; alios divitias quærere, alios honoribus inhiare, alios favorabilis auræ ſuavitate raptari. Sed quid de divitiis? Nónne cum labore acquiruntur, cum timore poſſidentur, cum dolore amittuntur? Theſaurizas, & ignoras cui congregabis ea. Vide quantum laborem pro perituris divitiis aſſumpſiſti. Tranſis maria, & alium tibi orbem aperis navigando, ſecundùm Sapientem tribus digitis diſtans à morte: patriam fugis, relinquis parentes, di-

velleris ab uxore, filios nescis, & omnium necessitudinum oblitus, quæris ut acquiras, acquiris ut perdas, perdis ut doleas.... Ecce quales divitiæ. Sed quid de honoribus? In sublimi loco positus es: ducem te constituerunt. Vide si non à Deo judicandus es, ab hominibus spectandus, ab hominibus lacerandus..... Nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Ecce quales honores. *Et quæ sequuntur.* Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium (*l*)? In res apparentes studium conferre, proprium est eorum, qui nullam sibi futuri sæculi spem proponunt, non judicii metum, non gehennæ minas, non bonorum exspectationem, non aliud quidquam eorum quæ tempore resurrectionis sperantur; qui, sicut pecora, ad præsentem vitam intenti, quodcumque gulæ ac ventri, reliquisque corporis voluptatibus indulgere possint, id in parte bonorum locant; vel principa-

A 3

(l) *Psalm.* 4.

tum inter aliquos tenere, & reliquis præſtare videri; vel multis incubare talentis; aut ſi quid aliud de hujus ſæculi fraudibus eſt. (*m*)

Infelices filij Adam, omiſſis veris & ſalutaribus curis, caduca potiùs & tranſitoria quærunt. (*n*) Quamdiu iſtis affigimur? quouſque terræ inhæremus, ut vermes, atque in luto verſamur? (*o*) Ad illa quæ promittuntur, intentionem noſtram extendamus. Cor noſtrum ibi ponamus, ubi putreſcere non poteſt ſæcularibus curis. Tranſeunt iſta, quæ occupant homines. Volant iſta. Vapor eſt vita humana ſuper terram.... Non vos fallat, qui fallit: quia vos non decipit, qui non fallit. (*p*) Vę, vę, vę habitantibus in terra; (*q*) id eſt, diligentibus terrena, & poſtponentibus cœleſtia. (*r*) *An non tergeminum illud* Vę, *in triplicem mundi concupiſcentiam detonat?* Profectò fructus mundi, ruina eſt. (*ſ*) *Fugiamus igitur*, ut non cum hoc mundo damnemur. (*t*) *Deſeramus mundum*,

(m) *Greg. Nyſſ. de Orat. Domin. orat.* 1. (n) *Bern. ſerm.* 1. *de Adventu.* (o) *Chryſoſt. in* 1. *Tim. hom.* 15. (p) *Aug. ſerm.* 4. è 40. *novis.* (q) *Apoc.* 8. (r) *Hugo Card. ibi.* (ſ) *Greg. hom.* 1. *in Evang.* (t) 1. *Cor.* 11.

fugientes ejus, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem: (v) refugientes coinquinationes mundi, in cognitione Domini nostri & Salvatoris JESU Christi, (x) *qui non est de hoc mundo, sed de supernis est.* (y) *Unde & Apostolus Paulus monet:* Nolite conformari huic sæculo. (z) *Ubi Chrysologus (aa):* Putásne, beatus Apostolus Paulus dicendo sic, elementorum figuris ne conformemur, obsistit? ..... Sæculi vitam corrigit: arguit mores: judicat institutum: castigat voluntates: luxuriam condemnat: & totam vanitatum sæcularium pompam propellit, effugat, excludit à mentibus Christianis. Sed hoc modo strictim commonet, quod est in principio hujus Epistolæ latiùs executus: ubi figuram sæculi in vitiis sic figurat. Repletos, inquit, omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, &c. Fratres, audistis formam sæculi: didicistis speciem: vidistis figuram, si tamen formam, & non informe monstrum: ubi confusione criminum

(v) 2. *Petri* 1. (x) 2.*Pet*.2. (y) *Ioan.* 8. (z) *Rom.* 12. (aa) *Serm.* 120.

tota rerum facies est deleta : ubi peccatorum connubio tota mundi figura est dissoluta : ubi delictorum morbis imago ipsa ablata est Conditoris : ubi homo in vitiis est sepultus: &c. Apostolus ergo huic formæ nos prohibet esse conformes : & configurari nos huic vetat figuræ : huic similitudini consimiles non esse permittit : sed ad formam Dei reformat: ad similitudinem revocat Christi, & totam reducit ad imaginem Conditoris, dicens : Sed reformamini in novitate sensus vestri. Hoc est, Sitis per Christum sensibus innovati, abjectâ sæculi hujus figurâ : & totâ inveteratæ imaginis deformitate projectâ, formam vestram in formam vestri reducite Salvatoris : ut novitas sensuum vestrorum in vestris actibus elucescat, & cœlestis homo cœlesti habitu jam gradiatur in terra. *Hactenus Chrysologus.* Religio munda & immaculata (*scribit Iacobus Apostolus*) apud Deum & Patrem, hæc est : Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo, *(bb) alienum ab amore & concupis-*

(bb) *Iac.* 1.

centia mundi ac sæcularium rerum, seu potiùs vanitatum & nihileitatum. Vnde S. Augustinus : Nónne spes nostra non est de hoc sæculo ? Non amemus sæculum. Ab amore sæculi hujus vocati sumus, ut aliud sæculum amemus & diligamus. In hoc abstinere nos debemus ab omnibus illicitis concupiscentiis. (*cc*) *Et iterum :* Non habentes concupiscentiam mundi, non vos subjugabit nec desiderium carnis, nec desiderium oculorum, nec ambitio sæculi : & facietis locum charitati venienti ut diligatis Deum : quia si fuerit ibi dilectio mundi, non ibi erit dilectio Dei. (*dd*) Sed ita nos amor sæculi hujus inebriat, ut nos umbræ volaticæ falsitatis, ad vana & falsa gaudia, quæ veros dolores pariunt, hoc est, voluptas mundi atque cupiditas, jugiter trahat. (*ee*) Reprehenditur frequenter mundus, quòd fallax sit & vanus ; nec tamen facilè relinquitur, quia concupiscentiæ carnis nimis dominantur. Sed alia trahunt ad amandum, alia ad contem-

(cc) *Aug. de verb. Dom. serm.* 39. (dd) *Aug. tr.* 2. *in Ep. Ioan.* (ee) *Cæsar. Arelat. hom.* 12.

nendum. Trahunt ad amorem mundi, desiderium carnis, desiderium oculorum, & superbia vitæ; sed pœnæ ac miseriæ justè sequentes ea, odium mundi pariunt & tædium. Sed vincit, proh dolor! delectatio parva mentem mundo deditam, & esse sub sentibus delitias reputat: quia Dei suavitatem, & internam virtutis amœnitatem nec vidit, nec gustavit. Qui autem mundum perfectè contemnunt, & Deo vivere sub sancta disciplina student, isti divinam dulcedinem veris abrenuntiatoribus promissam non ignorant; & quàm graviter mundus errat, & variè fallitur, clariùs vident. (ff)

Ad illam mundi seu terrenarum rerum dilectionem è cordibus nostris extirpandam, inserendumq; Dei & cælestium amorem, continenter nos hortatur movetq; Spiritus veritatis, tum interioribus monitis, tum luculentis divinæ Scripturæ oraculis, Patrum aliorumq; Scriptorum gravissimis testimoniis, spectatissimis illustrium mundi contemptorum exemplis. Atque ex iis ego quidem nuper

(ff) Kemp. de Imit. l. 3. c. 20.

proposui serias aliquot Considerationes, quibus Vanitas vanitatum *sæculi hujus evanesceret, insereretur q́ mortalium animis veræ Christianæq́ Sapientiæ amor; additurus, si Deus annueret, alias ex iisdem fontibus cogitationes, quibus specialiùs triplex fallentis mundi ac fascinantis homines concupiscentia expugnaretur. En hodie aliquas adversus feracissimam malorum omnium radicem*, Concupiscentiam oculorum, *seu divitiarum cupiditatem: adversus concupiscentias reliquas dabuntur & deinceps aliæ, si faverint Superi. Porrò illam* oculorum concupiscentiam, *primam impetendam evertendamq́ censui, quòd aliis fomitem materiemq́ subministret, eâq́ debellatâ langueant aliæ, facileq́ superentur.* Omnes iniquitatis species (*ait Olympiodorus*) morbi sunt ipsius animę. Adeò verò gravis est & intensus avaritię morbus, ut radix malorum omnium meritò nominetur. (gg) *Quapropter Christus ipse, homines à mundanis concupiscentiis abducturus, divitiarum cupiditatem, primo suo in mundum ingressu, summâ rerum omnium inopiâ damnavit; ac primam deinde inter beatitudines, paupertatem spi-*

(gg) *Olymp. in Eccle.* 5.

lenni concione nuncupavit, quam vitâ paupere, morte pauperrimá consecravit. *Ideò* paupertas voluntaria, *meritò dicitur à Seraphico Bonaventura* (*hh*) primarium Evangelicæ perfectionis, omnisque boni fundamentum. *Et egregius Christianæ disciplinæ Magister, S. Parens noster Ignatius, hominem instruens ad fugam mundi, Christi sequelam, perfectéq; deliberandum de vitæ statu eligendo; (ii) in præcellenti illa meditatione* De duobus vexillis, uno quidem JESU Christi, optimi nostri Imperatoris: altero verò Luciferi, hostis hominum capitalissimi; attendere *jubet*, cujusmodi concionem habeat dux impiorum Lucifer ad ministros suos, quos instigat, ut correptis injectisque laqueis, & catenis, homines primùm trahant (quod ferè contingit) ad cupiditatem divitiarum, unde posteà faciliùs in mundani honoris ambitionem, ac demum in superbiæ barathrum deturbari queant. Ex opposito, auscultare concionem Christi exhortatoriam, ad servos & amicos suos omnes, qua eis præcipit, ut ju-

[hh] *Serm. 1. Dom. 22. post Pentec.* [ii] *Exercit. 2. hebdom.*

vare ſtudeant quemlibet, ac primò inducendum curent ad ſpiritualem affectum paupertatis, & inſuper (ſi divini obſequii ratio & electio cœleſtis eò ferat) ad ſectandam actu ipſo veram paupertatem.

Morbus eſt communis, peſtilens, avaritia: omnes inficit. Omnes avaritiæ ſtudent, *inquit Propheta* (kk): *&* *iterum*: (ll) Omnes avaritiam ſequuntur. *Et aureus Eccleſiaſtes Chryſoſtomus, avaritiæ inſectator acerrimus*: Unde hic morbus orbem ſubingreſſus eſt? Quiſnam illum exterminare poterit? Quiſnam ſermo hanc beſtiam excidere, & funditus perdere valeat? Inſerta eſt in animis hominum iſta cupido, etiam eorum qui videntur pii eſſe & religioſi. (mm) *Et alibi*: (nn) Sicut enim flamma vehemens, ubi in ſylvam incidit, pervertit omnia & deſolatur: ita & iſta orbem deſtruxit univerſum. Reges, principes, privati, pauperes, mulieres, viri, pueri, omnes æquè hac lue detinentur: ac veluti caligo quædam orbem totum obſede-

[kk] *Ierem.* 6. [ll] *c.* 8. [mm] *Chryſoſt. in* 1. *Theſſal. hom.* 10. [nn] *Ibid. ho.* 17.

rit, nemo eſt qui reſipiſcat: etſi innumeris quotidie avaritiam inſectetur maledictis, nullus tamen emendare vitium ſtudet. *Hactenus eloquentiſſimus Doctor, qui deinde proponit media, quibus, ad illam luem pellendam, utendum nobis eſt: quæ & in noſtris hiſce Conſiderationibus exponemus, &, ut de Chriſti propter nos egeni facti bonitate confidimus, non ſine legentium & meditantium fructu. Quàm ſubtile malum ſit avaritia, quàm difficulter detegatur & curetur, quàm ſpecioſis rationum & excuſationum involucris pallietur habendi amor immoderatus, præclarè oſtendit maximus ille animorum rector, Franciscus Saleſius, (oo) qui deinde medicinam facit maximè opportunam tanto malo. Vtinam ex illius cœleſtis ſpiritus ſuavi efficacitate, aliquid & in hocce opuſculum derivetur, quo ad neceſſarium iſtius peſtis horrorem fugamque moveantur, qui ſe afflatos (quod difficilè agnoſcunt, nec unquam fatentur ii qui tamen eâ lue laborant, ut idem Sanctus rectè obſervat) tandem deprehenderint.*

Avaritiam autem illam (quæ, ex S. Thoma, (pp) eſt immoderatus appetitus

[oo] *Introduct.* p. 3. c. 14. [pp] 1. p. q. 63. a. 2. ad 2. & *alibi.*

rerum temporalium, quæ veniunt in usum vitæ humanæ, quæcumque pecuniâ æstimari possunt) *intelligo eam* concupiscentiam, *quam Apostolus Ioannes suprà*, oculorum *nuncupat. Ita, præter alios, intelligit Angelicus ille Doctor, sic scribens*: (*qq*) Omnes res mundanæ ad tria reducuntur, scilicet ad honores, divitias, & delitias, secundùm illud 1. Joan. 2. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, quod pertinet ad delitias carnis : & concupiscentia oculorum, quod pertinet ad divitias : & superbia vitæ, quod pertinet ad ambitum gloriæ & honoris. *Et alibi* : (*rr*) Concupiscentia oculorum est circa exteriora in usum ordinata. *Et Cornelius noster*: (*ss*) Concupiscibile oculorum est aurum, argentum, gemmæ, prædia, opes, res curiosæ & pretiosæ &c. quas concupiscit avarus & avaritia. Dicitur oculorum, tum quia oculos irritat, & per oculos mentem & phantasiam : tum quia oculos tantùm pascit : tum quia ferè oculis tenetur & possidetur.

[qq] 1. 2. *q.* 108. *a.* 3. *ad* 4. [rr] *in* 2. *dist.* 42. *q.* 2. *a.* 1. [ss] *à Lapide in illud* 1. *Io.* 2.

Avarus enim recondit opes, nec audet eas expendere, iisque frui, sed eas habet in arca: unde non alium earum usum & fructum habet, quàm quod subinde eas oculis lustrare & intueri cum voluptate possit: quæ sanè ingens est miseria & fatuitas. *Hæc & alia insignis ille Scripturæ sacræ commentator, qui & alibi (tt) dicit avaros esse gryphes, qui, ut ait Caßiodorus Lib. 9. Variar. feruntur* aurum jugiter effodere, atque ejus inspectione gaudere. *Certè à spiritu veritatis edoctus, pronuntiat Salomon:* Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit divitias oculis suis (*uu*)? *Prætereà* concupiscentia *dicitur* oculorum, *quòd quidquid avarus videt, hoc concupiscat, hoc aurum vellet.* Tui verò oculi, *ait Propheta*, & cor ad avaritiam. (*xx*) Ecce, *inquit S. Valerianus*, (*yy*) cupiditas oculorum nostrorum portas jugiter pulsat, & corda hominum divitiarum stimulis inquietat. Hinc hominem ad omne facinus animus, inde invitat aspectus. *Et iterum:* (*zz*) Furem diabo-

(tt) *In Eccli.* 14. *v.* 3. (uu) *Eccle.* 5. (xx) *Ierem.* 22. (yy) *Hom.* 17. (zz) *Hom.* 7.

lum credite : qui ut bonis operibus insidietur, objectâ sæculi pompâ blanditur : &, ut hominem à consortio regni cœlestis excludat, aurum manibus ingerit, argentum oculis opponit, gemmas collo inserit : &c. *Sed hæc aliaq; persequemur nostris Considerationibus; quas tu, mi Christiane, aggredere magno & liberali animo, cognoscendæ sectandæq; veritatis cupido.*

In illis eam methodum teneo; quam in priori Opusculo De vanitate vanitatum. *Distinguitur qualibet consideratio in tres veluti articulos : quorum primus ex Scripturis divinis ferè constat : alter ex Authoribus Ecclesiasticis : tertius historias continet firmandis sententiis, movendisquè animis. Ut fructum capias, lege meditatè, expende, & quoad potes, in praxim redige; præmitte etiam aut considerationi intersere aliquas ex iis, quas descripsi, aut alias ejusmodi, Orationes. Si præco es Evangelicæ doctrinæ, habes campum uberem, unde colligas, quæ adversus mundanam concupiscentiam in Auditorum aures animosq; spargas utiliter; succosa omnia, quia è Sapientiæ æternæ oraculis, Doctorum Ecclesiæ, aliorumq; piorum ac gravium Autho-*

rum pronuntiatis, illustribusquè exemplis, deprompta fideliter, adeò ut vix quidquam hîc habeas, quod ex ipsis fontibus non hauserim. Quòd si fortè quidpiam ab aliis descriptum, apud ipsos primos Authores reperiri à me non potuit, puta quia codex ipse non habebatur, &c.; id ferè annotavi, laudans eum, apud quem legeram. Denique, quod aliàs monui, meminisse te cupio, quorumdam Scriptorum varias esse editiones, atque adeò ne continuò erratum à me censeas, si quid fortè aut loco aut tenore discrepare cum lectis à te aut ab alio citatis, deprehenderis. Atque his benè vale, & fructuosè utere hoc enchiridio, ad Dei optimi maximi gloriam, tuamq; & aliorum utilitatem concinnato: faxintq; Superi, ut penitùs elanguescat intereatq; oculorum concupiscentia, *seu* avaritia, *quam* nec nominari in nobis *vult Apostolus*, sicut decet Sanctos. (*)

(*) *Ephes.* 5.





ORATIONES

Præmittendæ aut interserendæ Considerationibus.

DOmine Pater, & Deus vitæ meę, ne derelinquas me in cogitatu maligno. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & desiderium malignum averte à me. Aufer à me concupiscentiam, & animo irreverenti & infrunito ne tradas me. (*a*)

Deus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis: da cunctis qui Christiana professione censentur, & illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini; & ea quæ sunt apta sectari. (*b*)

Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, insere cordibus nostris tui amoris affectum: ut te

(a) *Resp.* 7. *Dom.* 1. *Aug. Eccli.* 23. (b) *Dom.* 3. *post Pascha,*

in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. (c)

Ecce, Domine Deus meus, mundus totus plenus est concupiscentiarum laqueis, quos paraverunt pedibus meis; & quis effugiet hos laqueos? Profectò, à quo tu abstulerit extollentiam oculorum suorum, ut non eum capiat concupiscentia oculorum: & à quo tu abstuleris carnis concupiscentiam, ne eum capiat carnis concupiscentia: & à quo tu abstuleris animum irreverentem & infrunitum, ne eum callidè decipiat superbia vitæ. O quàm felix, cui hæc tu facies! quippe transibit immunis. (d)

Bone JESU, nihil, quæso, sine te mihi dulcescat, nihil complaceat, nil pretiosum, nil præter te mihi arrideat speciosum. Vilescant, obsecro, absque te mihi omnia, sordeant universa..... Sit bonum mihi lex oris tui super millia auri & argenti. Sit obedire ti-

(c) *Dom. 5. post Pentecost.* (d) *August. Solil. cap. 12.*

bi, mihi amabile: & resistere tibi, execrabile. (*e*)

Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? (*f*) Quid volui? divitias fluxas, caducas, volaticas. Quid volui? aurum, pallorem terræ; argentum, livorem terræ; honorem, temporis fumum. Ecce quid volui super terram. (*g*) Deus cordis mei, & pars Deus in æternum. (*h*)

Væ mihi, Domine, & væ iterum mihi; quia vanitati citiùs credidi & assensi: te autem, qui veritas es, tam facilè reliqui. O quantum in hoc deliqui, quòd non omnibus postpositis, tibi soli adhæsi! Nam ad amandum te & fruendum factus sum; sed creaturas inordinatè sequendo, te amisi, & in eis nullam cordis pausationem inveni. Converte me Domine ad te, & noli me in terrenis relinquere, qui cœlestia te sequentibus dignatus es promittere. (*i*)

O Deus æterne, summe, & immense, creator omnium & rector; ego sum creatura tua, quam fecisti in vir-

(*e*) *Aug. Meditat. c.* 7. (*f*) *Ps.* 72. (*g*) *August. Serm.* 4. *è* 40. *novis.* (*h*) *Ps.* 72. (*i*) *Thom. à Kemp. Solil. cap.* 9.

tute tua. Ad amandum te factus ſum, & modò volo amare te., & non poſſum quantum volo. Ligatus ſum vano amore, & viſcoſo affectu rerum labentium, à quibus dum me excutere conor, vix aut nullatenus ſine gravi dolore poſſum. O ſi tu mihi dulceſcas, & ſapias, quàm citò fugient & peribunt ! (k)

Amantiſſime JESU, accende in me ignem, quem veniſti mittere in terram ; ut cuncta hæc infima deſpiciam, & tibi ſoli vivere deſiderem, tibi ſoli placere ſtudeam, ac pro amore tui ab hominibus deſpici & negligi non timeam, Eſto tu gaudium meum, dulcedo animæ meæ ; habita mecum, & ego tecum, toto excluſo mundo. Sis Doctor meus & magiſter meus, doctrina mea & ſapientia mea. (l)

O dulciſſime & amantiſſime Domine, verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia & contraria in patientiam, omnia infima & creata in contemptum & oblivionem. Erige cor meum ad te in cœlum, & ne dimittas me vagari ſuper ter-

(k) *Ibid.* (l) *Kemp. de elevat. ment. c.* 11.

ram. Tu ſolus mihi ex hoc jam dulceſcas uſque in ſæculum : quia tu ſolus amor meus & gaudium meum, dulcedo mea & totum bonum meum. (*m*) Nihil opto mihi reſervare, ſed me & omnia mea tibi ſponte & libentiſſimè immolare. (*n*)

Da mihi, omnibus mori quæ in mundo ſunt; & propter te, amare contemni & neſciri in hoc ſæculo. Da mihi ſuper omnia deſiderata in te requieſcere, & cor meum in te pacificare. Tu vera pax cordis, tu ſola requies: extra te, dura ſunt omnia & inquieta. In hac pace, in idipſum, hoc eſt, in te uno ſummo æterno bono, dormiam & requieſcam. (*o*)

Suſcipe, Domine, univerſam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel poſſideo, mihi largitus es : id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus voluntati trado gubernandum. Amorem tui ſolùm cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultrà poſco. (*p*)

(m) *De imit. l.4.c.16.* (n) *Ibid.c.17.* (o) *De imit. l.3.c.15.* (p) *S.Ignat. 4.hebd.Exerc.de amore Dei.*



JACULATORIÆ.

LOquere mihi, Domine, ad qualemcumque animæ meæ consolationem, & ad totius vitæ meæ emendationem; tibi autem ad laudem, & gloriam, & perpetuum honorem. (*a*)

Averte oculos meos, ne videant vanitatem.

Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua, & non in avaritiam.

In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.

Dilexi mandata tua super aurum & topazium.

Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.

Portio mea, Domine, dixi custodire legem tuam. (*b*)

Domine, ante te omne desiderium meum. (*c*)

Et nunc

(a) *Kemp. de imit. l.* 3.c.2. (b) *Ps.*118. (c) *Ps.* 37.

Et nunc quæ eſt expectatio mea? nónne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt. (*d*)

Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: ponere in Domino Deo ſpem meam. (*e*)

Credo videre bona Domini in terra viventium. (*f*)

O bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, ſempiterna, incommutabilia! & quando vos videbo, bona Domini? (*g*)

Ab uno te, Deus meus, averſus, in multa evanui. (*h*)

Amo te, Deus meus, magiſque ſemper amare cupio.... Super omne aurum, & argentum, & lapidem pretioſum es mihi charior. (*i*)

Da mihi te, Deus meus.... Hoc ſcio, quia malè mihi eſt præter te, non ſolùm extra me, ſed & in meipſo: & omnis copia, quæ Deus meus non eſt, egeſtas eſt. (*k*)

Quàm ſordet mihi terra, cùm cœlum aſpicio! (*l*)

(d) *Pſ.* 38. (e) *Pſ.* 72. (f) *Pſ.* 26. (g) *Aug. in illud Pſ.* 26. (h) *Id. l.* 2. *conf. c.* 1. (i) *Aug. Solil. c.* 19. (k) *Aug. l.* 13 *conf. c* 8. (l) *S. Ignat. in vita.*

Domine Deus meus, omnia bona mea tu es.... Doce me facere voluntatem tuam : quia ſapientia mea tu es, qui in veritate me cognoſcis. (m)

Oro te, Deus meus, & precor te ex totis intimis meis : Libera me, & eripe diſtractum & captivum animum, ab omnibus mundi concupiſcentiis. (n)

Noli evagari, anima mea, poſt vanitates & inſanias falſas : ſed convertere ad Dominum Deum tuum, quia ipſe fons totius conſolationis. (o)

Quid ultrà concupiſcis, anima mea, deſiderio plena ? Nónne melius eſt, ut uni adhæreas, quàm multis? (p)

Ceſſa multa quærere ; uni te junge, uni adhære ; in uno totum conſiſtit. Quærant alii multa & varia ; tu quære unum internum bonum, & ſufficit tibi. (q)

Deus meus, amor meus ; tu totus meus, & ego totus tuus. (r)

Deus meus, & omnia. (ſ)

Domine, quid volo, aut quid velim extra te, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum ? (t)

(m) *De imit. Chr. l. 3. c. 3.* (n) *Kemp. de elevat. mentis c. 2.* (o) *Kemp. ſolil. c. 10.* (p) *Ibid. c. 12.* (q) *Ibid.* (r) *De imit. l. 3, c. 5.* (ſ) *S. Franc.* (t) *S. Ign. ex Pſ. 72.*



CONSIDERATIO I.

DIVITIARUM VANITAS.

I. AVarus non implebitur pecunia: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit divitias oculis suis? ..... Sicut egressus est nudus de utero matris suæ, sic revertetur: & nihil auferet secum de labore suo. Quid ergo prodest ei, quòd laboravit in ventum? (*a*) Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia, & homini livido ad quid aurum? (*b*) In imagine (*ex Hebræo*, in umbra) pertransit homo: sed & frustra conturbatur. Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. (*c*) Aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. (*d*) Est qui locupletatur, parcè agen-

(a) *Eccle.* 5. (b) *Eccli.* 14. (c) *Psalm.* 38 (d) *Eccli.* 14.

do ; & hæc est pars mercedis illius in eo quod dicit : Inveni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus : & nescit quòd tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur. (e) Dives sicut flos fœni transibit. Exortus est sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit : ita & dives in itineribus suis marcescet. (f) *Quare sapienter monet Psaltes regius* : Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus: quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. (g) Noli, inquit, expavescere divitias & potentiam divitis, & gloriam sæcularem : quoniam caduca illa sunt, & citiùs abeunt quàm venerunt. Somnium est iste thesaurus : evigilas, & recessit. (h) Dormierunt somnum suum ; & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis: (i) Quia in somnis videbant divitias transituras. (k) Omnes dixit, nullum excepit. Et benè

(e) *Eccli.* 11. (f) *Iacob.* 1. (g) *Ps.* 48. (h) *Ambros. ibi.* (i) *Ps.* 75. (k) *August. in Ps.* 131.

viros divitiarum appellavit, non divitias virorum; ut ostenderet eos non possessores divitiarum esse; sed à suis divitiis possideri. Possessio enim possessoris debet esse, non possessor possessionis..... Hujusmodi igitur viri somnum suum dormiunt, non Christi dormiunt somnum. Et qui non somnum Christi dormiunt, non habent Christi quietem, non surgunt Christi resurrectione. (*l*) Relinquent alienis divitias suas: & sepulchra eorum domus illorum in æternum. (*m*) *En illorum hæreditatem*: Nihil secum auferent: (*n*) perditionem hæreditabunt... Et confusio illorum, cum ipsis sine intermissione. (*o*) Introïbunt in inferiora terræ. (*p*) Quæ sunt inferiora terræ? *quærit ibi Augustinus*, *& respondet:* Terrenæ cupiditates. Omnis enim qui contra salutem suam cupit terrena, sub terra est: quia terram sibi præposuit, terram super se posuit, & se subter fecit. (*q*) Cùm dormierit, nihil secum auferet: aperiet oculos suos, & nihil inveniet. (*r*) Sicut

(*l*) *Ambros. de Nabuthe c.* 15. (*m*) *Ps.* 48. (*n*) *Iob* 27. (*o*) *Eccli.* 20. (*p*) *Ps.* 62. (*q*) *August. ibi.*

ſomniat eſuriens & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus: & ſicut ſomniat ſitiens & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt. (ſ) *Vnde & meritò Iob*: Non ſunt in manu eorum bona ſua. . . . . Erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut favilla quam turbo diſpergit. (t) *Vtique* quia vani facti ſunt, (v) & in nihilo confidunt, (x) ad nihilum devenient. (y) Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. Animam ſuam non ſaturabunt, & ventres eorum non implebuntur. (z) Deceperunt enim eos idola ſua, *ex Chaldæo*, mendacia ſua; (*aa*) fallacia, (*bb*) & deceptio divitiarum: (*cc*) in quibus confidunt homines. (*dd*) Qui confidit in divitiis, corruet. Non proderunt divitiæ in die ultionis. (*ee*) Nil proderunt theſauri impietatis, *ſive, ut legit S. Cyrillus Alexandrinus*, (*ff*) impiis. (*gg*) Et dicit Dominus:

(r) *Iob.27.* (ſ) *Iſai.29.* (t) *Iob.20.* (v) *Ierem.2.* (x) *Iſai.59.* (y) *Pſal.57.* (z) *Ezech.7.* (aa) *Amos 2.* (bb) *Matth.13.* (cc) *Marc.4.* (dd) *Baruch.3.* (ee) *Proverb.11.* (ff) *In Sophoniam n.10.* (gg) *Proverb.10.*

Visitabo super viros defixos in fæcibus suis, *ex Chaldæo*, divitiis suis. (*hh*) Nihil itaque terrenum appetendum est, nec corradendæ divitiæ fugientes, quæ habentibus prodesse nihil possunt. (*ii*) Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris : Est mihi sufficiens vita : nihil enim proderit in die vindictæ & obductionis. (*kk*)

II. Quid vobis cum terrenis divitiis & gloriâ temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt ? Aurum & argentum nónne terra rubra est & alba, quam solus hominum error facit, aut potius, reputat, pretiosam ? denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cùm interierit, non sumet omnia, *&c.* (*a*) Quid est congregare opes, nisi vanum ? quia caduca quærere, vanum est satis.... Quid ergo vanè araneam texis, quæ inanis & sine fructu est ; & tanquam casses suspendis inutiles divitiarum copias, quæ etsi fluant, nihil prosunt, imò exuunt te imaginem Dei, & in-

(hh) *Sophon.* 1. (ii) *Cyrill. Alexand. suprà.*
(kk) *Eccli.* 5.
(a) *Bernard. serm.* 4. *in Adventu.*

duunt terreni imaginem? (*b*) Quem divitiæ ejus ab inferis redemerunt? Cujus ægritudinem pecunia mitigavit? Non in abundantia divitiarum, inquit, vita ejus. Et alibi: Nihil prosunt thesauri injusti: justitia autem liberat à morte. (Prov. 10.) Meritò clamat Propheta: divitiæ si affluant, nolite cor apponere. (Ps. 61.) Quid enim mihi prosunt, si me à morte liberare non possunt? Quid mihi prosunt, si mecum post mortem esse non possunt? Hîc acquiruntur, hîc relinquuntur. Somnium igitur loquimur, non patrimonium. (*c*) Sæpè namque contingit dormienti inopi, ut se per somnium divitem videat, atque ex eisdem rebus animum extollat, lætetur habere quod non habuit, jámque dedignari quærat, à quibus dedignatum esse se doluit: sed repentè evigilans, evigilasse se doleat, qui interim divitiarum imaginem vel dormiens tenebat. Gemit enim protinus sub paupertatis pondere, & inopiæ suæ angustiis premitur: & eò pejus, quò,

(b) *Ambros. l.* 1. *Offic. c.* 49. (c) *Ambr. de Nabuthe c.* 16.

ad tempus breviſſimum, vel vacuè dives fuit. Sic, ſic nimirum hujus mundi ſunt divites, qui rebus acceptis tument. Benè operari de ſua abundantia neſciunt, quaſi dormientes ſunt divites: ſed paupertatem ſuam evigilantes inveniunt; quia nihil ſecum ad illud judicium, quod permanet, ferunt: & quantò nunc ad breve tempus ſublimiùs elati ſunt; tantò contra ſe in perpetuum graviùs ingemiſcunt. (*d*) Quid eſt *igitur* hoc ſæculum, niſi miſeria, & velut umbra fugax, & ſeducens delectatio? Et quid in auro, niſi ſpecies vana? (*e*) Nomen divitiarum, res autem minimè. (*f*) Quemadmodum enim actores in ſcena, regum ac ducum perſonas, item medicorum ac rhetorum, ſophiſtarum ac militum, aſſumentes, ingrediuntur, cùm ipſi nihil horum ſint: ſic ſanè & in præſenti vita, paupertas ac divitiæ nihil aliud ſunt, quàm perſonæ. Sicut igitur in theatro ſedens, ſi quem videris ex his qui inferiùs ludunt, perſonam geſtantem regis, non judicas eum bea-

B 5

(d) *Gregor. l.* 18. *mor. cap.* 10. *vetere*, 12. *novo.*
(e) *Alcuinus epiſt.* 66. (f) *Chryſ. in Pſ.* 4.

tum, neque regem esse credis, imò nec ipse optaris esse talis; sed cùm scias, quòd sit quispiam ex his qui versantur in foro, funium opifex, aut faber ærarius, aut aliud quidquam tale, non judicas illum beatum ob personam, aut ob vestem ad talos demissam; neque ex hisce æstimas illius vitam, sed despuis potiùs illum ob aliam vilitatem: sic sanè, & hic velut in theatro, videlicet in mundo, sedens, & in scena ludentes spectans, ubi videris complures divites, ne putes verè divites esse, sed divitum obtectos personis. (*g*) Vanitas igitur est, divitias perituras quærere, & in illis sperare. (*h*) Quid omninò sunt divitiæ? Umbra iners, fumus qui citò evanescit, flos fœni, vel etiam viliores: (*i*) somnia, nihil: (*k*) *aut, si aliquid vis tandem illas esse*, lutum, *ex Habacuc*, (*l*) *ex Chrysostomo*, (*m*) *& aliis passim, è quibus magnus ille Augustinus*: Congeris, *inquit*, quod tecum non tollas. Nescis quia cùm con-

(g) *Chrysost. conc. 2. de Lazaro.* (h) *Kemp. de imit. Christi l. 1. c. 1.* (i) *Chrys. hom. 32. in Ioan.* (k) *Idem in Ps. 48.* (l) *c. 2. v. 6.* (m) *Hom. 25. in ep. ad Hebr. in morali.*

geris, ad cor tuum lutum trahis? *(n) Quid aliud?* Stercus, *ex Apostolo, (o) ex Gregorio Nazianzeno, (p) & aliis*; *imò* stercus diaboli, *ex ipso Christo colloquente S. Birgittæ, (q) his verbis*: Quomodo spiritus meus potest esse cum eis, qui nullam charitatem habent ad me? qui ut voluntatem suam perficiant, libenter produnt alios, Ipsorum cor plenum est vermibus vilissimis, id est, affectionibus mundi. In ore eorum posuit diabolus stercus suum; & ideò non placent eis verba mea. *Ita Christus. Ubi Consalvus Durantus in suis Notis sic habet*: Stercus diaboli aliud non esse arbitror, quàm peccata, vel sæculi divitias & voluptates; quæ cùm dæmon suadet hominibus ut sequantur, in ore eorum stercus suum posuisse dicitur. Stercus autem in sacris litteris designare voluptates & divitias, tradunt D. Hieronymus Ezech. 4. & Joëlis 1., & Gregorius homil. 31. Idem insinuat Propheta Ezechiel loco citato, qui, ut ostenderet Judæos ventri & carni deditos esse, eosque bona opera face-

(n) *Aug. serm. 13. de diversis.* (o) *Philip. 3. v. 8.* (p) *orat. 38.* (q) *l. 1. Revelat. cap. 6.*

re consuevisse, ut sæculi divitias consequerentur, scripsit illos comedisse panem cum stercore boum. *Hactenus Theologus ille, qui S. Birgittæ revelationes doctis Notis illustravit. Meritò igitur Guigo Carthusianus (r) scarabæis similes dicit eos, qui divitiis aliisq; terræ bonis adhærent:* Scarabæus, *inquit*, dum supervolat, cuncta intuens, nil pulchrum aut sanum sive durabile eligit; sed sicubi stercora jacent fœtentia, eis protinus insidet, spretis tot pulchris. Ita animus tuus, cœlum terramque, & quæ in eis pretiosa sunt, intuitus, pervolans, nulli adhæret; contemptisque omnibus, vilia & sordida, quæ cogitationi occurrunt, libens amplectitur. Erubesce ex his. *Audi insuper sapientissimum Ambrosium:* (s) Quid aurum congregas, in quo nulla certa fiducia est? Auri tui avaritia cesset, & terra est: solidi tui cupiditas auferatur, & sordes sunt. Aurum enim & argentum vilis est & abjecta materies: ubi aurum increvit humanâ concupiscentiâ, tunc & his speciebus accrevit ambitio. Aurum enim & argentum non pre-

[r] *Meditat. c. 9. fine.* [s] *Serm. 39.*

tiosum natura instituit, sed hominum voluntas effecit.

III. Quid boni habet aurum? Planè attonitus hac in re factus sum. Incantatio quædam est & præstigium, quòd aurum & argentum tantopere à nobis honorantur. (a) *Terrenarum opum vanitatem experientiâ ipsâ signavit regum potentissimus & sapientissimus Salomon, graviq; stylo expressit.* Coacervavi mihi argentum & aurum, & substantias regum ac provinciarum... Et supergressus sum opibus omnes qui ante me fuerunt in Jerusalem. Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis.... Cumque me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus, & nihil permanere sub sole. (b) Divitias nihil esse duxi. (c) *Divitiarum inanitatem noverat & ridebat, qui* post aurum non abiit, nec speravit in pecunia & thesauris, (d) *Vir ille, de quo* Dominus ad Satan: Numquid consi-

(a) *Chrysost. hom.* 10. *in* 1. *Thessal.* (b) *Eccle.* 2. (c) *Sap.* 7. (d) *Eccli.* 31.

deraſti ſervum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra. (*e*) *Audi illum.* Si pùtavi aurum robur meum: & obrizo dixi, Fiducia mea. (*f*) Sanctus ergo vir nec aurum robur, nec ſibi obrizi, id eſt, rudis auri molem, fiduciam credidit: quia ſpem atque delectationem ſuam in ſolius gratiam Conditoris figens, neque de quantitate auri, neque de ſpecie peccavit. De Creatore quippe deſperaſſe fuerat, ſpem in creatura poſuiſſe .... Quaſi in aquis enim defluentibus fundamentum ponere eſt, in rebus labentibus ſpei fiduciam velle ſolidare. Stante enim in perpetuum Deo, tranſeunt omnia. Quid ergo ab ſtante fugere eſt, niſi tranſeuntibus rebus inhærere? Quis namque unquam decurrentium fluminum tumidis vorticibus raptus, manere ipſe fixus potuit, deorſum undâ defluente? Quiſquis ergo defluere devitat, ſupereſt ut, quod defluit, fugiat, ne per hoc quod amat, in hoc cogatur pervenire quod vitat .... De terrenis rebus gaudium beatus Job non ſe habuiſſe teſtificans, ſubjungit

(e) *Iob* 1. (f) *Iob* 31.

dicens: Si lætatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea. (*g*) Sancti quippe Viri in hujus peregrinationis ærumna, quoniam eam, quam appetunt, adhuc Creatoris sui speciem contemplari minimè sinuntur, omnem præsentis vitæ copiam, inopiam deputant: quia videlicet nil extra Deum sufficit menti, quæ veraciter Deum quærit. *Hactenus Gregorius cognomento & re Magnus.* (*h*) *Idem Iob, nudus jam rebus omnibus*, sedebat in sterquilinio; (*i*) omnes homines instruens, quia omnis terrena eorum gloria in putredinem ac stercus atque vermes convertetur. (*k*) *Noverat opum ceterorumque fallacium mundi bonorum inanitatem ac nihilum Serenissima Isabella, quæ in interiore aulæ recessu, hos versus descriptos in dies lectitare consuêrat:*

Si mihi sint vires, & prædia magna: quid inde?
Auri sint species, argenti massa: quid inde?
Si mihi sint nati Regis de stirpe: quid inde?

(g) *Iob. ibid.* (h) *L. 22. moral. c. 2.* (i) *Iob. 2.*
(k) *Origen. l. 2. in Iob.*

Et rota fortunæ me tollat ad aſtra: quid inde?
Si felix annis regnavero mille: quid inde?
Nam citò prætereunt hæc omnia: quod NIHIL inde?
Seruiat ergo Deo omnis homo: quia ſic ſatis inde. (*l*)

Noverant & tot immenſarum opum generoſo contemptu beatiores, quàm poſſeſſione clariores, qui, cum Apoſtolo, omnia detrimentum fecerunt, & arbitrantur ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciant. (*m*) *Novit & dæmon ipſe, quàm vana ſint, quorum fallaci objectu, ſtultorum mortalium oculos animoſq; faſcinat; atque adeò, dum proponit, fatetur eorum inanitatem. Attende nugivendum illum tartareum, qui ipſum Cœli Dominum auſus eſt vanâ bonorum, ſeu veriùs, inanitatum mundi ſpecie, aggredi.* Duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis. (*n*) *Vbi S. Ambroſius*: Benè, *ait*, in momento temporis & ſæcularia & terrena demonſtrantur. Non enim tam conſpectûs celeritas indicatur, quàm

(l) *Engelgrave Luc. Evang. par.* 1. *Dom.* 4. *poſt Pentec.* §. 2. (m) *Philip.* 3. (n) *Luc.* 4.

caducæ fragilitas poteſtatis exprimitur. In momento enim illa cuncta prætereunt, & ſæpè honor ſæculi abiit antequàm venerit. Quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum, cùm ipſa diuturna non ſint ſæcula? ... Cur ea quæ ad uſum tibi diuturna eſſe non poſſunt, ad ſupplicium diuturna depoſcas? (o) *Audis; & adhuc* reſpicis in vanitates & inſanias falſas? (p) Adhuc inhiamus præſentibus, neque diaboli verſutiam cogitamus, qui per parva magnis ſpoliat, & lutum præbet, ut aurum rapiat, imò magis, ut auferat cœlum; & umbram prætendit, ut veritate nos extrudat, & in ſomniis phantaſias oſtendit (hoc enim ſunt præſentes divitiæ) ut cùm illuxerit, omnibus pauperiores exhibeat. Hæc itaque cogitantes, tandem dolum quandoque fugiamus, & ad futura tranſeamus. (q) Modò dicamus, Tranſeunt omnia tanquam umbra, modò fructuosè dicamus, Tranſeunt: ne tunc (cum venerit judicium) dicamus inſtructuosè, omnia tranſierunt. (r)

(o) *Ambr. l. 4. in Luc.* (p) *Pſ.* 39. (q) *Chryſ. hom.* 35. *ad Pop.* (r) *Aug. in Pſ.* 32. *conc.* 1.



CONSIDERATIO II.

DIVITIÆ INSTABILES.

I. DIvitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. (*a*) Cum admiratione hanc ſuſpicito vocem. Fluxa eſt divitiarum natura, ſuos poſſeſſores torrente præraрido ocyùs prætercurrit, alios alio modo apta mutare dominos. Quemadmodum fluvius ex alto ruens loco, ita ſubitò exuberat; ut ſtantes in ripa quandoque attingat; ſimul verò ubi attigit, mox ſecedit: ſic & opum lubrica declivitas perniciſſimam exhibet & prolapſione leviſſimam ſui præſentiam, alios ex aliis nata permutare. Hodie hujus eſt ager, cras erit alterius, & paulò pòſt ad alium perveniet. Reſpice parumper ad civitatis domos; quot nomina, ex eo tempore quo fuerunt ædificatæ, ſortitæ ſunt, aliter ab aliis atque aliis

(a) *Pſ.* 61.

appellatæ possessoribus. Et aurum è manibus habentis elabens semper ad alium transfertur, & ab illo ad alium. Magis enim aquam manu circumplexam retinere continenter possis, quàm divitias conservare tibi ipsi. Rectè igitur illud dictum est: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere; ne animo erga illas afficiaris. (*b*) Vides quia fluunt: non vides quia prætefluunt? Quid excipere quæris, quod tecum auferre non possis? Fluenta sunt, quæ miraris: quo modo veniunt, sic transeunt & recedunt. (*c*) *Quare magnus Gentium Apostolus dilectum filium in Fide Timotheum instruens, graviter monet inter cetera salutis documenta:* Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum. (*d*) *Quem locum doctè commentans magnus ille Pauli interpres Chrysostomus*: Aptissimè, *inquit*, hujus sæculi, dixit: sunt enim & alii in futuro sæculo divites. Nihil ita supercilium attollit, nihil ita superbiam & arrogantiam gignit, ut opes: atque

(b) *Basil. hom. in Ps.* 61. (c) *Ambros. in eundem Psalm.* (d) 1. *Timoth.* 6.

ideò protinus ab illis avertit, adjungens : Neque ſperare in incerto divitiarum .... Quid in eo ſperas, quod repentè transfertur ? Id quippe divitiæ ſunt. Quid in illis ſpem ponis, quibus confidere omnino non potes ? Quomodo verò cavere ſuperbiam poterunt ? Si viderint, quàm infirmæ illæ, quàm inſtabiles ſint. *Et alibi idem Doctor, eadem Apoſtoli verba explicans* : (*e*) Nihil enim tam infidum, quàm divitiæ; quod cùm ſæpe dixerim, dicere non ceſſabo, quòd fugitivus eſt & ingratus ſervus, fidem non habens; vel ſi innumera ipſi vincula injicias, ſic quoque cum ipſis vinculis aufugit, Sæpius igitur peſſulis & foribus ipſum poſſidentes concluſerunt, ſervorum adhibitâ cuſtodiâ : ille verò ſervis ipſis perſuadens, cum ipſis fugit cuſtodibus. Quid hoc infidelius ? Quid verò his, qui circa hunc ſtudium omne collocant, miſerabilius ? quando rem tam labilem omni ſtudio colligere aggrediantur, nec Prophetam audiant dicentem : Væ his qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitia-

[e] *Chryſoſt. hom. 2. ad Pop.*

rum suarum gloriantur. (Ps. 48.) Dic, quare Væ? Thesaurizat, inquit, & ignorat cui congregabit ea. Et, quoniam labor quidem certus, fructus verò incertus. Sæpius inimicis laboras, & ærumnis conficeris. Sæpius post mortem tuam, ad eos qui te affecerunt injuriâ, & innumeris circumvenerunt insidiis, hæreditas veniens, tibi quidem peccata, possessionem verò aliis præbuit.... Quid insanis circa fugientia, & hîc manentia? Nihil divitiis fallacius: hodie tecum, & cras contra te invidorum oculos armant... Ne dicas mihi: Tot & tot annorum proventus repositos habeo, auri talenta innumera, lucra per singulos adaucta dies. Sæpius unâ horâ & brevi temporis momento, velut vento supernè irruente jactabilis pulvis, sic hæc omnia ex domo exsufflantur .... Nec hoc solum malum est, quòd mutatio fit repentè universa, sed quòd impræmeditatus ad paupertatis tolerantiam dives deducitur. *Hactenus Chrysostomus, qui & similia sæpius repetit aureâ planè facundiâ.* Vides ergo, ô dives, quia sunt tuæ incertæ divitiæ; (*f*)

(f) *Ambros. serm.* 39.

ſemper enim fugaces ſunt, & ſtabilitate carent, & ad defectionem à Deo inclinant, & pedes habent fragiles. (*g*) Noli de te præſumere, noli ibi te figere: certè vel hoc time, divitiæ ſi fluant. Non vides, quia ſi ibi cor poſueris, & tu flues? (*h*) *Audi Spiritum veritatis, Salomonis ore monentem*: Noli laborare ut diteris: ſed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos ad opes, quas non potes habere (*ſeu, diu poſſidere*): quia facient ſibi pennas ſicut aquilæ, & volabunt in cœlum. (*i*) *Vt enim Aquilæ altiſſimè evolant, ita ut conſpici demum nequeant: ſic opes ſæpenumero avolant quam longiſſimè, ut nihil jam ex eis videatur.*

II. Hoc ſanè omnibus puto etiam idiotis cognitum eſſe, quòd nihil eorum, quæ in hac vita jucunda ſunt, & quorum gratiâ plerique inſaniunt, verè noſtrum eſſe, aut fieri ſoleat, ſed omnibus ſimul aliena videantur, tam qui illis frui putantur, quàm qui ne attingunt quidem. Neque enim ſi infinitam vim auri in hac vita coacer-

(g) *Cyrill. Alexandr. in Sophon. n.* 10.
(h) *Auguſt. in Pſ.* 61. (i) *Prov.* 23.

vant, illico perpetuò illis aurum hoc proprium manet; ſed vel à viventibus adhuc, licet undique obligatum, ad potentiores transfluens aufugit, aut in mortis jam articulo conſtitutos deſerit, nec vult unà cum poſſeſſoribus ſuis emigrare: ſed iſti quidem, ab eo, qui animas violenter ab hac carne ſeparat, ad neceſſariam compulſi migrationem, ad pecunias crebrò reſpectant, & , quos à prima ætate ſudores illarum gratiâ tulerunt, deplorant: divitiæ verò aliorum manibus inhiant, iſtis colligendi tantùm labore & avaritiæ crimine inflicto .... Sæpenumero autem & antequàm ſepeliatur, & antequàm bonis cedat, videbit illa in manus veniſſe aliorum, idque forſan inimicorum quoque. (*a*)

Nam firmitatis nil habent opes, maris
Similes profectò fluctibus, motu levi
Quos ferri in altum cernimus, labi & citò. (*b*)

Blandæ ſunt divitiæ, & aliud agen-

(a) *Baſil. hom.* 23. *Non adhærend. rebus ſæcular.*
(b) *Gregor. Nazianz. carm. iambico.* 3. *ad Seleuc.*

tes, & aliud pollicentes : lubrica est earum possessio, dum huc illucque circumferuntur, & instabili gradu vel habentes deserunt, vel non habentes referciunt. (c) Cùm congregaveris opes, quî scias, an possidere liceat tibi? Nónne vanum est, ut mercator noctibus ac diebus conficiat iter, quò aggerare possit thesauri acervos; merces congerat; conturbetur ad pretium, ne fortè minoris vendat quàm emerit; aucupetur locorum pretia ; aut, non expectatis serenioribus flatibus, dum lucrum quærit, naufragium, impatiens moræ, incidat? An non conturbatur etiam ille vanè, qui summo labore coacervat, quod nesciat cui hæredi relinquat? Sæpe quod avarus summâ congesserit sollicitudine, præcipiti effusione dilapidat hæres luxuriosus : & diu quæsita, turpis helluo, præsentium cœcus, futuri improvidus, quadam absorbet voragine. Sæpè etiam speratus successor invidiam partæ acquirit hæreditatis, & celeri obitu extraneis aditæ successionis transcribit compen-

(c) *Hieronym. lib. 2. super Matth. cap. 13. can. 2. n. 135.*

compendia. (*d*) *Et* gloriaris in multitudine divitiarum tuarum? (*e*) Speras, & prævales in vanitate tuâ? (*f*) Si quis tibi quidem domos, ubi manere non debeas, paraſſet, magnum exiſtimares detrimentum id factum: nunc autem hîc vis locupletari, unde frequenter & ante veſperam es migraturus. Neſcis quòd in aliena regione moramur tanquam hoſpites & peregrini? Neſcis quòd peregrinorum eſt expelli, cum nec expectaverint, nec ſperaverint? quod & nos patimur. Propterea quidquid comparaverimus, hîc dimittimus. (*g*) Nemo in caſura urbe ædificat. Dic mihi, ſi quis tibi prænuntiaret, poſt annum ipſam caſuram urbem, num fortaſſe in caſurâ urbe ædificares? ... Nequaquam ædificemus in hoc mundo. Cadet enim paulò pòſt, & cuncta peribunt. Quid dico, cadet? Ante ipſum caſum ipſi peribimus. Quid in arena ædificamus? Ædificemus ſupra petram: quantumcumque impetus fiet, inconcuſſa quidem illa erit ædificatio, eámque de-

C

(d) *Ambr. l. 2. Offic. c. 49.* (e) *Pſ. 48.*
[f] *Pſ. 51.* (g) *Chryſoſt. ho. 36. ad Pop.*

moliri nihil poterit. (*h*) Sed opes ubinam deponemus? In terra suffodiemus? Absit: sed, meis, si ipse consiliis acquiescere volueris, modum tibi dixero, quo transfugas opes, fidas tibi eas reddideris. Quónam modo transfugæ ipsæ tenebuntur? Distributæ manent, custoditæ fugiunt. Atque vel ab ipsis agricolis disce. Nam illi quidem frumenta si domi conclusa tenent, vermium in esca amittent: si verò disperserint in terras, non modò custodiunt, sed etiam augent. Sic & opes, stantes quidem in arca, atque sub sera & vecte defossæ, citò transfugiunt: si verò eas in ventres disperseris pauperum, non modò non fugiunt, sed & majores inde resurgunt. Hæc igitur sciens, in manibus fac eas millenis detineri, viduarum scilicet, orphanorum, infirmorum. (*i*)

III. Quid gloriaris in vallibus? Defluxit vallis tua, filia delicata, quæ confidebas in thesauris tuis, & dicebas, Quis veniet ad me? Ecce ego inducam super te terrorem, ait Domi-

(h *Chrysost. de Pænit. hom.* 7.
(i) *Chrysost. ibid.*

nus. (*a*) Ubi ſunt Principes Gentium, & qui dominantur ſuper beſtias quæ ſunt ſuper terram? qui in avibus cœli ludunt, qui argentum theſaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? qui argentum fabricant, & ſolliciti ſunt, nec eſt inventio operum illorum? Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alii loco ipſorum exurrexerunt. (*b*) Vir opulentus, & Principum favore magnus, à nonnemine interrogatus eſt: Quid ad omnem fortunam ſibi deeſſe videretur? Ille prudenter, Clavum, inquit, unicum, quo fortunam mihi tam propitiam & blandientem affigam, ne avolet. Sed hic hactenus clavus nuſquam eſt repertus. (*c*) *Nempe, ut rectè cecinit Scribanius noſter:*

Ut bulla labitur, quidquid hîc nobile;
Ut flos, ſic defluit, quidquid amabile;
Ut umbra deperit, quidquid optabile;

(*a*) *Jerem.* 49. (b) *Baruch* 3. (c) *Drexel. in Joſepho cap.* 12. §. 2.

Nil firmum cogites, nil terris stabile. (*d*)

Sæpè ante mortem, post multos labores, & sudores, & ærumnas, quasi procellâ quadam ingruente negotiorum difficultate, repentè qui plurimas possidebat divitias, pauperrimis factus est pauperior : qualia singulis diebus videre contingit. (*e*) Horum vita plena, plenæ verò scripturæ disciplinarum & exemplorum. Hodie dives, cras pauper. Idcirco sæpius risi testamenta legens dicentia : Ille quidem habeat agrorum, vel domûs dominium, usum verò alius. Omnes enim usum habemus, dominium autem nemo : etsi enim nobis per omnem permaneant vitam, nullam facientes divitiæ mutationem; & volentes & nolentes in fine aliis cedemus, ipsarum usu solo decerpto, dominio autem nudi & orbati ad illam vitam migrantes. Unde manifestum est, quòd illi soli dominium habent, qui & ipsarum usum contempserunt, & fructum deriserunt. (*f*) Scitis vos innumerabilia

[d] *Scriban. Amor. div. Ludo in sæculi amorem.*
[e] *Chrysost. ho. 11. in Genes.* (f) *Chrys. ho. 2. ad Pop.*

in hac urbe incertarum divitiarum documenta & exempla: compertumque habetis, eum, qui opes nactus est, vivere, & ipsas periisse; atque utinam possessio periisset, neque possessorem sibi perdidisset. Itaque non errabit, qui divitias ingratum servum dixerit, sanguinis devoratorem, & parricidam; quippe quæ domino pro gratia cædem referant. Quodque gravius est, non quando eas linquit, hominem in discrimen deducunt, sed antequàm deserat, eum conturbant... Cùm autem altum ejus casum periclitantem videris, tuam calamitatem casumque considera. Quid enim humanis rebus instabilius? Id quod sæpè commemoravi, fluvialium undarum naturam divitiæ imitantur, quæ simul & videntur & labuntur: uno eodemque puncto temporis & tenentur & effluunt. (g) Quid itaque laboras in ventum, cùm sint divitiæ instabiles, & aquatilis bullæ cùm detumescit, persimiles? (h) Nondum rectè advenerunt, & avolarunt. (i) *Probè noverat opum insta-*

(g) *Chrysost. hom. in Ps.* 48. (h) *Olympiod. in Eccle.* 5. 15. (i) *Chrys. hom.* 1. *in Genes. sub finem.*

bilitatem vir sanctißimus Iob, qui proinde iis cor non apponebat. Audi quid dicat: Quòd si delectatus sum, cùm mihi multæ affluerent divitiæ, si reposui copiosam auri vim mihi, si fiduciam habui in lapidibus pretiosis, si ad innumerabilia posui manum meam. Quid ais, homo? Non delectatus es divitiis affluentibus tibi? Nequaquam, inquit. Quid ita? Quoniam videbam illarum instabilem fluxamque naturam, videbamque possessionem haud durabilem. Aut non video, inquit, solem orientem ac deficientem, lunam verò intermittentem? non enim in eodem manet statu. Quod autem dicit, tale est: Si stellę quæ sunt in cœlis, perpetuoque lucent, recipiunt nonnullam mutationem, sol deficiens, luna interiens; annon extremæ dementiæ sit, terrena pro stabilibus fixisque ducere? Eôque nec præsentibus magnopere delectabar, nec discedentibus vehementer contristatus sum: quoniam probè noveram earum rerum naturam. *Ita Hussaus ille Princeps, interprete Chrysostomo.* (k) Atque hoc (*scribit Gregorius Na-*

(k) *Chrysost. hom. cùm Sarton. & Aurel. acti essent in exilium. to. 5.*

zianzenus) ut si quid aliud, rectè ab artifice Verbo & Sapientiâ illâ mentem omnem superante factum esse videtur, ut nos in iis, quæ in aspectum cadunt, atque aliàs mutantur & mutant, ac sursum deorsumque feruntur & invertuntur, ac priusquàm manu teneantur, fugâ se proripiunt, eludamur; nimirum, ut perspectâ eorum instabilitate ac varietate, ad futuræ vitæ portum contendamus. Quid enim fecissemus, si prosperitas nobis firma & perpetua esset? cùm licet fluxa & fragilis sit, usque eò tamen ipsi tanquam vinculis quibusdam adstricti simus, ejusque voluptate atque impostura in hanc servitutem redacti, ut nihil præsentibus rebus melius atque excellentius cogitare possimus; idque, cùm ad Dei imaginem, quæ & sursum est, & ad se trahit, creatos nos esse credamus, ac persuasum habeamus. Quis sapiens, & intelliget hæc? Quis prætereuntia præteribit? Quis stabilibus & æternis mentem adjunget? Quis de præsentibus, tanquam de abeuntibus, cogitabit? ... Quis præ-

sentibus rebus, futuras emet? Quis fluxis opibus, opes constantes atque perennes? (*l*)

[l] *Greg. Nazianz. Orat.* 16.



CONSIDERATIO III.

BONA NON BONA.

I. VAni, *imò ex Hebræo*, Vanitas, *seu*, vanissimi filii hominum; mendaces, *imò* mendacium, *seu*, mendacissimi filii hominum in stateris, *dolosis & fraudulentis, perversis scilicet judiciis & affectibus* (mala, *ut habet Basilius explicans illud Ps.* 61., pro bonis eligentes, vana veris anteponentes, momentanea perpetuis potiora ducentes) ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. (*a*) *Seipsos miseri & alios decipiunt*; & licet variis modis vani sint & mendaces, tamen in idipsum conveniunt, uniti & conjuncti sunt in hoc ut vani sint & mendaces. (*b*) *Vnde & Symmachus ultima illa verba reddit*: ipsi evanescunt simul; *& Septuaginta*, Ipsi

(a) *Ps.* 61. [b] *Bellarmin. ibi.*

ſtulteſcunt ſimul. (*c*) *Veriſſimum igitur illud Eccleſiaſtæ ſapientiſſimi:* Stultorum infinitus eſt numerus; (*d*) *& illud iterum Pſaltæ Regis:* Omnis homo mendax. (*e*) *Hoc dicit* Propheta in exceſſu mentis, (*ut immediatè antè habet*) per quem aſcendit ad notitiam regionis vivorum: in eo exceſſu, videns quàm falſa & fallacia ſint, quæ videntur hominibus vera & ſolida bona; Ego, inquit, dixi, Omnis homo mendax: id eſt, omnis homo, qui humano affectu loquitur de felicitate, & magni æſtimat bona mortalia & caduca, mendax eſt: vera & ſtabilia bona non inveniuntur, niſi in regione vivorum. (*f*) *Rurſus*, Homo vanitati ſimilis factus eſt. (*g*) Cui vanitati? *interrogat, & reſpondet Auguſtinus:* (*h*) Temporibus præterlabentibus & præterfluentibus ... Hæc omnia terrena, volatica, tranſitoria, ſi comparentur illi veritati, ubi dictum eſt, Ego ſum qui ſum: (Exodi 3.) totum hoc quod tranſit, vanitas dicitur. Evaneſcit enim per

[c] *vid. Lorin. Le Blanc, &c.* (d) *Eccle.* 1. (e) *Pſ.* 115. (f *Bellarm. ex Euthymio ibi.* (g) *Pſ.* 143. (h) *ibi.*

tempus, tanquam in auras fumus. *Imò* universa vanitas (*sive*, universitas vanitatis) omnis homo vivens: (*i*) *atque adeò vanitate ipsâ vanior. Quod enim suprà Vulgata habet*, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum; (*k*) *in Hebræo habetur*: ad ascendendum ipsi de vanitate in idipsum; id est, *interprete Bellarmino*, positi in statera cum vanitate, ascendunt præ vanitate, ac per hoc leviores & magis vani sunt quàm ipsa vanitas. *Vnde etiam Chaldæus reddit*: Si acceperint homines stateram, ponderantes fata sua, illi quidem ipsamet vanitate erunt leviores. (*l*) *Quid ita?* Diligunt, *ut queritur Propheta*, (*m*) vanitatem, & quærunt mendacium; *seseque illi veluti mancipia subjiciunt*: *atque ita miseri vanitate obcæcati, & possessi mendacio*, evanescunt in cogitationibus suis, (*n*) ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, (*o*) dicunt malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

(i) *Ps.* 38. (k) *Ps.* 61. (l) *vid. Thom. le Blanc ibi.* (m) *Ps.* 4. (n) *Rom.* 1. (o) *Ephes.* 4.

(p) *Istâ cæcâ vanitate pleni, quas Veritas ipsa* fallaces divitias, *imò* fallaciam divitiarum, (q) deceptionem, (r) ſpinas, (ſ) *apertè pronuntiat; bonas illi, & ſimpliciter bona proclamant, colunt, imò gratulantur inveniſſe tanquam idolum, quod adorent, & à quo felicitatem omnem habeant:* Verumtamen dives effectus ſum, inveni idolum mihi. (t) *Illi cor, illi animum, illi curas omnes, totamq; vitam dicant, conſecrant; & quem vanum fatuumque auri argentique maleſanis oculis hauſere fulgorem, ſic ad intima tranſmittunt, ut nihil niſi aurum, niſi argentum, ſomnient, ament, quærant. Intereà clamat Dominus & Magiſter noſter, Patris Sapientia,* Verumtamen Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram. (u) *Illud* Væ *miſeriam calamitatemque deſignat. Et iterum:* Nolite theſaurizare vobis theſauros in terrâ; (x) *& alia ejuſmodi paſſim habes in Evangelicis paginis; quibus bona non eſſe, quæ mundus falsò æſtimat nuncupatq; bona, luculentè demonſtratur. Nec verbis dumtaxat, ſed & exemplo, contemnenda illa docuit idem Do-*

(p) *Iſai.* 5. (q) *Matth.* 13. [r) *Marc.* 4. (ſ) *Luc.* 8. (t) *Oſe.* 11. (u) *Luc.* 6. (x) *Matth.* 6.

minus, propter nos egenus factus, (*y*) qui non habuit ubi caput reclinaret. (*z*) Cùm bonorum omnium author sit Deus, & à fidelibus suis quæri & diligi quæque bona præcipiat; si mundana vera bona essent, nec ipse quidem contemneret, nec à suis sequacibus contemni præciperet... Si divitiæ terrenæ vera bona essent, non earum possessoribus improperaret Dominus dicens: Væ vobis divitibus &c. Et alibi: Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei. (Marci 10.) Audiamus etiam, quid suis dicat imitatoribus: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus (Matth. 19.) Item: Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (Luc. 14.) &c. (*aa*) Aurum, argentum, bonum est, non quòd te faciat bonum, sed unde facias bonum... Quod bonum, inquis, facturus sum de auro? Non audisti Psalmum: Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi?

(y) 2. *Cor.* 8. (z) *Matth.* 8. (aa) *August. tom.* 9. *lib. de contemptu mundi cap.* 5.

(Ps. 111.) Hoc est bonum, hoc est bonum unde sis justitiâ bonus. Si habes bonum unde sis bonus, fac bonum de bono unde non es bonus. Habes pecuniam: eroga. Erogando pecuniam, auges justitiam, (*bb*) Omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. (*cc*)

II Itáne nullum est proprium vobis, atque insitum bonum; ut in externis ac sepositis rebus bona vestra quæratis? Sic rerum versa est conditio, ut divinum, merito rationis, animal, non aliter sibi splendere, nisi inanimatæ supellectilis possessione, videatur? Et alia quidem suis contenta sunt: vos autem Deo mente consimiles, ab rebus infimis excellentis naturæ ornamenta captatis: nec intelligitis, quantam Conditori vestro faciatis injuriam. Ille enim genus humanum terrenis omnibus præstare voluit: vos dignitatem vestram infra infima quæque detruditis. Nam si omne cujusque bonum, eo, cujus est, constat esse pretiosius; cùm vilissima rerum vestra bona esse judi-

(bb) *August. de verbis Dom. Serm. 5.* (cc) *Luc. 18.*

catis, eisdem vosmetipsos vestrâ æstimatione submittitis: quod quidem haud immeritò cadit. Humanæ quippe naturæ hæc conditio est, ut tum tantùm ceteris rebus, cùm se cognoscit, excellat: eadem tamen infra bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam ceteris animantibus sese ignorare, naturæ est: hominibus verò, vitio venit.... Ego verò nego illud esse bonum, quod noceat habenti. Num id mentior? Minimè, inquies. Atqui divitiæ possidentibus persæpè nocuerunt, cùm pessimus quisque, eoque alieni magis avidus, quidquid usquam auri, gemmarum est, se solum, qui habeat, dignissimum putat. Tu igitur, qui nunc contum, gladiumque pertimescis, si vitæ hujus callem vacuus viator intrasses, coram latrone cantasses. O præclara opum mortalium beatitudo, quam cùm adeptus fueris, securus esse desistis! (*a*) Has divitias noli appellare, quia veræ non sunt: paupertate plenæ sunt, & semper obnoxiæ casibus. Quales divitiæ sunt, propter quas latronem times, propter quas times servum tuum, ne te occiso auferat &

(a) *Boët. de Consolat. l. 2. prosa 5.*

fugiat? Si veræ divitiæ essent, securitatem tibi darent ... Divitias vocat illas mundus, iniquitatis vocat Deus: ideò mammona iniquitatis, quia divitias vocat iniquitas. Audi Psalmum: Domine, erue me de manu filiorum alienorum; quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum dextera iniquitatis. Quorum filij sicut novellæ plantationes in juventute sua, *&c.* (*Ps.* 143.) Vidisti Psalmum qualem felicitatem descripsit: sed audi quid sit, quos proposuit filios iniquitatis. Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis. Ipsos proposuit, & dixit felicitatem eorum tantùm super terram: & quid adjunxit? Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Sed qui dixerunt? Filii alieni, alienigenæ, & non pertinentes ad semen Abrahæ ... Quorum os locutum est vanitatem. Ergo vanum est, dicere beatos esse eos quibus hæc sunt; & tamen dicitur ab eis, quorum os locutum est vanitatem. Ab istis dicuntur istæ divitiæ, quæ vocantur mammona iniquitatis. (*b*) Hæc tu appellare bona non erubescis, neque

(b) *August. de verbis Dom. Serm.* 35.

ſuffunderis, homo cùm ſis, cui de cœleſtibus philoſophari fas ſit? Non, inquam, erubeſcis, terrenis ſolùm rebus, & commodis inhiare mortalibus, cui ad fruendum patet, ſi volueris, cœlum; eaque appellas bona, quæ indigniſſima ſimul atque viliſſima ſunt? Nempe enim ſi bona hæc dicimus, & eos, qui ea poſſident, bonos itidem vocare debemus. Nam qui bonum aliquod habet, quomodo poteſt ipſe non eſſe bonus? Quid ergo? Si, qui ea poſsident, immodicâ habendi cupiditate aliena diripiant, num eos dicemus bonos? Si enim bonæ divitiæ ſunt, hæ verò ex cupiditate, iniquiſque compendiis oriuntur: quantò illæ auctiores ſunt, tantò, qui eas poſsidet, melior fieri putandus eſt; atque eâ ratione, ille erit optimus, qui cupidiſsimus fuerit. Si autem divitiæ bonæ ſunt, quæ ex cupiditate incrementa ſuſcipiunt, eò quiſque bonitate præſtabit, quò plura poſſederit. Quod quàm ſit abſurdum, quamque à ratione diſſentiat, omnibus perſpicuum eſt: niſi fortè abſque cupiditate opes congeri poſſunt, atque innoxiæ poſſideri. Sed id profe-

ctò fieri nullâ ratione poteſt, ut perniitioſiſſima hæc perturbatio innoxia ſit; atque id Chriſtus dicens, definit ſuâ ſententiâ: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. (Luc. 16.).... Non igitur habere pecunias, bonum eſt; verùm non habere, videri bonum facit. Non igitur ſunt bonæ divitiæ: ceterùm ſi eas, dum licet accipere, renuas, bonus itidem eris. Si igitur cùm eas habentes communicamus egentibus, & oblatas ſponte renuimus, tunc boni ſumus: ſin verò eas vel oblatas ſumpſerimus, vel ſoli poſſidere velimus, boni non ſumus: qua ratione divitiæ bonæ dicendæ ſunt? Noli igitur ejuſmodi appellatione falli, nec bonas dixeris, quæ bonæ non ſunt. Idcirco nempe bono, quod verum eſt, cares: quia bonas divitias putas, quia illas miraris attonitus. Purgare animum ſtude, judiciumque diligentius adhibe: tunc profectò bonus eris, cùm judicio minimè aberraveris. Diſce quæ vera ſint bona. Quænam verò iſta ſunt? Virtus ſcilicet atque benignitas, eâdem profectò normâ ſi miſericors fueris.

Quantò eâ re excellis magis, tantò melior eris, atque putaberis: non sic autem, si fueris dives. (*c*)

III. *Divitias vera bona non esse, adeoq; non expetendas, noverat sapientißimus & à Deo illustratus Salomon. Quare & continuè & obnixè Deum rogavit, ut ne illas sibi daret. Ita* (*a*) locutus est vir, cum quo est Deus, & Deo secum morante confortatus. Duo rogavi te, ne deneges mihi antequam moriar (*seu, quamdiu superstes ero:*) Vanitatem (*id est, secundùm multos, divitias, quæ impellunt ad vanitatem & fastum* (*b*) & verba mendacii longè fac à me: Mendicitatem & divitias ne dederis mihi (*ubi idem repetit quæ antè, ex Lyrano.*) Tribue tantùm victui meo necessaria. *Et addit causam cur divitias deprecetur*: Ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? (*c*) Nihil est enim quod sic generent divitiæ, quomodo superbiam. Omne pomum, omne granum, omne frumentum, omne lignum habet vermem suum. Et alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, alius

(*c*) *Chrysost. hom.* 12. *in* 1. *Tim.*
(*a*) *Prov.* 30. (*b*) *Vid. Cornel. à Lapide ibi.* (*c*) *Ibid.*

tritici: vermis divitiarum, superbia: (*d*) *quæ* est initium omnis peccati, (*e*) *Deiq; ac salutis contemptum parit. Quare Siracides scriptor etiam sapientissimus, à Spiritu Dei edoctus, ita pronuntiat:* Si fueris dives, non eris immunis à peccato. (*f*) Nam, (*ut scribit Apostolus ille, qui raptus in tertium cœlum, noverat omnium optimè, divitias non esse inter vera bona censendas*) qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. (*g*) Et adhuc surdus es? Interitum & perditionem non times? Sic Deus tonat, & stertis? (*h*) *Quàm graves, quàm tremendæ sunt istæ, aliaque in sacris Litteris, in divitias & divites, sententiæ! Et erit adhuc homo Christianus, qui petere audeat à Deo divitias, aut eas magno labore conquirere, ne dicam, per fraudes & injustitiam comparare? Et erit sapiens, qui divitias verà bona existimet; qui beatum dicat, cui illæ affluant; qui eas contemnendas, ac fugiendas non pronuntiet? Pronuntiavit Vnigeni-*

(d) *August. de verb. Dom. serm.* 5. (e) *Eccli.* 10. (f) *Eccli.* 11. (g) 1. *Tim.* 6. (h) *August. hom.* 13. *ex* 50.

tus Dei Filius, qui ſcit omnium optimè quid in ſe illa habeant, nec ullum inter ſuos ſequaces ac diſcipulos admiſit, qui illis adhæreret. Ambulans JESUS juxta mare Galileæ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piſcatores) & ait illis: Venite poſt me: & faciam vos fieri piſcatores hominum. At illi continuò relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia ſua: & vocavit eos. Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum; *(i) ut habet Lucas de Petro & aliis*, relictis omnibus. (*k*) *Unde etiam Chriſto Domino pronuntianti, difficilè divitem intraturum in regnum cælorum:* reſpondens Petrus, dixit: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? (*l*) *In quæ verba S. Bernardus*, Nota admodum quæſtio eſt, *inquit:* Quemadmodum Petrus cùm nil ferè ex omnibus ha-

(i) *Matth.* 4. (k) *Luc.* 5. (l) *Matth.* 19.

buisse sciatur, tam fiducialiter glorietur sese omnia reliquisse. Unde Sanctorum quispiam, Multum, inquit, deseruit, qui voluntatem habendi dereliquit. Et post pauca: A sequentibus tanta relicta sunt, quanta à non sequentibus desiderari potuerunt. Numquid enim voluntas habendi tam multa complectitur, ut reliquisse illam, sit omnia deseruïsse? (*m*) *Et S. Augustinus:* Multum dimisit, Fratres mei, multum dimisit. Quid? Non solùm dimisit quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat. Quis enim pauper non turgescit in spe sæculi hujus? Quis non quotidie cupit augere quod habet? Ista cupiditas præcisa est. . . . . . Prorsus totum mundum dimisit Petrus, & totum mundum Petrus accepit. (*n*) Matthæum publicanum, *ait Petrus Chrysologus*, divitiæ sic cupiditatis publicabant magistrum, fornace avaritiæ sic coquebant, sic alligabant vinculis cautionum, sacculorum ponderibus sic premebant, ut levari ad innocentiam, ad justitiam surgere, ad

(m) *Bern declam.* Ecce nos reliquimus, *ex S. Greg. hom.* 5, *in Evang.* (n) *Aug. in Ps.*103. *conc.* 3.

virtutem progredi non valeret. Unde & ſedere ejus erat jam ſubſidere, non ſedere. (*o*) Vidit illum JESUS in telonio : & ait, Sequere me. (*p*) Hoc eſt, *pergit idem Orator aureus*, me ſequere de ſupernis ad ſuperna tendentem : & non aurum de inferis ad inferna mergentem. Et ſurgens ſecutus eſt eum. Generoſus animus, qui ſic ea quæ magna putarat, facilè, & quaſi nulla contempſit. (*q*) *Quid Zacchæus ?* Et hic erat princeps publicanorum, & ipſe dives. Et quærebat videre JESUM. (*r*) Qui Chriſtum videre cupit (*ait hìc Chryſologus*) cœlum unde Chriſtus eſt, non terram, de qua aurum eſt, intueatur. Præcurrens aſcendit in arborem. Calcavit terram, ſuperaſcendit auram, tranſcendit avaritiam, & totam divitiarum ſupergreſſus eſt molem. (*s*) Excepit illum gaudens : & ſtans, dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ecce, *inquit Beda*, camelus de-

(o) *Chryſol. ſerm.* 28. (p) *Matth.* 9. (q) *Chryſol. ſerm.* 29. (r) *Luc.* 19. (s) *Chryſol. ſerm.* 54.

positâ gibbi sarcinâ per foramen acus transit, hoc est, dives & publicanus relicto onere divitiarum, contempto censu fraudum, angustam portam, arctamque viam quæ ad vitam ducit, ascendit. (*t*) Ne quis tamen putet, *ait Chrysologus*, Zacchæum, offerendo dimidium bonorum, perfectionis non tenuisse fastigium; qui pòst omnia sua & seipsum sic dedit Domino, ut Episcopatûs honore fultus, à mensa publicani quæstus, ad mensam Dominici Corporis perveniret: & fraudulentas sæculi divitias derelinquens, in paupertate Christi veras sæculi divitias inveniret. (*v*) Sapientis *demum* est, hoc appetere, quod bonum facit; & non id amare, quod decipit. (*x*) *Unde Ecclesiastes*, Cor sapientis, *inquit*, in dextera ejus: & cor stulti in sinistra illius. (*y*) Qui habent cor ad vera & æterna bona, quæ est pars dextera, in qua erunt oves in die judicii, illi sapiunt: qui habent cor ad caduca & temporalia, quæ est pars sinistra, in qua erunt hœdi, illi stul-

(t) *Beda l.* 5. *c.* 77. *in Luc.* 19. (v) *Chrysol. serm.* 54. (x) *Prosper lib. sent. n.* 130. (y) *Eccle.* 10.

tiſſimi ſunt. (z) *Utrâ in parte eſt cor tuum, mi Lector ? in utrâ erit deinceps ?* Domine, inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam. (aa)

(z) *Bellarm. de gemitu columbæ l.* 3. *c.* 2.
(aa) *Pſalm.* 118.



CONSIDERATIO IV.

DIVITIARUM SITIS.

I. AVarus non implebitur pecunia; *ex Hebræo & Græco*, Amans argentum non ſatiabitur argento. (a) Avarus enim ex eo dicitur quòd ſit avidus auri, *ex S. Iſidoro*; (b) *& ex S. Ambroſio*, Quid eſt dives, niſi quidam inexplebilis gurges divitiarum, inexplebilis auri fames ac ſitis? Quò plus hauſerit, plus inardeſcit. (c) Inſatiabilis oculus cupidi (*avari, qui omnia cupit*) in parte iniquitatis, *nullâ opum portione contentus*; non ſatiabitur donec conſumat arefaciens animam ſuam, (d) *continuis curis, deſideriis*,

(a) *Eccle.* 5. (b) *Etymol. l.* 10. (c) *Ambroſ. de Nabuthe c.* 6. (d) *Eccli.* 14.

deriis, *anxiis cogitationibus*. Eſt quippe peſtis hujus inexplebilis appetitus, neque à morborum concupiſcentiâ diſſimilis eſt: talia ſunt ægrotorum deſideria. Denique is qui febris caloribus uritur, impleri nunquam poteſt, ſed ſemper in deſideriis eſt. Ebrius item nunquam mero ſatiatur, ſed ſiti ſemper anhelat: ita & qui pecuniarum inſano tenetur ſtudio, deſiderium ſuum exſatiare nullâ opum poterit copiâ .... Orbis ille totius inimicus eſt; indignatur quòd ulli ſint homines. Cupit enim deſerta eſſe omnia, ut omnium ipſe potiatur ſolus. (*e*) Oculi ſtultorum (id eſt, *interprete Hugone Cardinali*, avarorum; qui ſtulti dicuntur, quia tranſitoria præponunt æternis) (*f*) in finibus terræ: (*g*) id eſt, in terrenis: ad litteram, in vineis, in agris, & ceteris poſſeſſionibus: quia ubi amor, ibi oculus. Nec tantùm oculi, ſed & aures, & lingua, & cor. Unde Matth. 6. Ubi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Tales verò nec cogitare, nec loqui, nec audire poſſunt,

(e) *Chryſoſt. hom.* 7. *in* 2. *Timoth.* (f) *Hugo Card. in Prov. mox. citand.* (g) *Prov.* 17.

nisi de terrenis: quia ibi cor, ibi lingua, ibi aures eorum sunt. (*h*) Avarus nunquam finem suæ imponit cupiditati, non solùm quòd non possit omnium solus facultates occupare, sed etiam quòd, quantumcumque complectitur, nihil se habere putat. (*i*) Anima calida, *inquit Spiritus sanctus*, quasi ignis ardens; non extinguetur donec aliquid glutiat. (*k*) *In quæ verba sic Rabanus:* Anima calida quasi ignis ardens est mens avari, quæ ardet in concupiscentia terrenarum rerum: cujus ardoris flamma non mitigatur, donec lucro terreno repleatur: sed quia avaritiæ pestis morbo hydropis est similis, quo qui laborat, quantò plus bibit, tantò plus sitit: sic & anima avari, quantò plura in pecuniarum quæstu acquirit, tantò plus in eorum ardet ambitione. Idcircò dum dicitur, donec aliquid glutiat; non ejus morbi in eo exprimitur curatio, sed perversi usus denotatur multiplicatio, ut dum appetitum lucrum acquirit, inde quasi jam absolutus, ad alia appeten-

(h) *Hugo Card. ibi.* (i) *Chrysost. in 1. Cor. hom. 14.*
(k) *Eccli. 23.*

da paratior reddatur. *Hactenus Rabanus. Quare iterum Spiritus Veritatis, insatiabilem illam pecuniarum cupiditatem inferno ipsi & morti comparat :* Infernus & perditio (*seu, mors*) nunquam implentur (*hebraicè*, saturantur) similiter & oculi (*seu, cupiditates*) hominum insatiabiles. (*l*) *Vnde S. Basilius*: Avarus, ut infernus, numquam ait, Satis est. (*m*) *Et iterum* : Quæcumque oculis acceperit avarus, his inhiat, non expletur satietate videndi oculus ejus, neque unquam avarus accipiendo satiatur : & ut Pluto infernus nunquam dixit satis sibi esse, sic neque avarus illam vocem ullo tempore protulit, Sufficit. (*n*) *Et S. Augustinus cum eodem Basilio* : Avarus vir inferno est similis. Infernus enim quantoscumque devoraverit, nunquam dicit, Satis est. Sic etsi omnes thesauri defluxerint in avarum, nunquam satiabitur. (*o*) *S. verò Chrysostomus* : Avarus, *inquit*, in omnes ut mors insiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis homi-

(l) *Prov.* 27. (m) *Basil. hom.* 7. *in divites avaros.* (n) *Basil. orat.* 15. *de avaritia.* (o.) *August. lib. de Salutar. docum. cap.* 30. *Basilius admonit. ad filium spiritual.*

num hoſtis: quippe qui vellet nullum hominem eſſe, ut omnia poſſideret. Neque hîc tamen ſiſtit gradum; ſed cùm omnes perdiderit cupiditate ſuâ, etiam terræ ſubſtantiam cupit abolere, ac ipſam aurum factam juvaret aſpicere: nec ſolam terram, ſed & montes & valles & fontes, breviter, quidquid in rerum natura extat. (p) *Hinc Chriſtus ipſe, narrans divitis epulonis & avari cruciatus, ait:* Elevans oculos ſuos cùm eſſet in tormentis, vidit Lazarum, *&c.* (q) In tormentis erat (*inquit Chryſoſtomus*) oculos ſolos liberos habebat, ut alterius lætitiam poſſet aſpicere. Propterea dimittuntur oculi liberi, ut magis torqueatur: quia non habebat quod alius tenebat. Aliorum divitiæ, eorum qui in paupertate ſunt, tormenta ſunt. (r) *Verum igitur eſt Syrorum & Arabum Proverbium:* Non eſt in toto mundo pauper, qui ſit ita miſer, ut eſt homo dives, qui non expletur divitiis ſuis. (ſ) *Veriſſimum illud Spiritus Sancti effatum:* Qui aurum diligit, non juſtificabitur; &

(p) *Chryſoſt. hom.* 29. *in Matth.* (q) *Luc.* 16. (r) *Chryſoſt. hom. in illud Lucæ.* 10. 2. (ſ) *Pineda & A Lapide in Eccle.* 5. *v.* 9.

qui insequitur consumptionem (*græcè, corruptionem, puta, aurum & opes caducas & corruptibiles*) replebitur ex eâ; (*t*) *nunquam satiandus: quia inanitate, somniis, & umbris plenus, nunquam finiendâ corruptione & rerum omnium atque adeò vel unius guttæ, quâ refrigeretur, egestate torquebitur.* Fugiamus igitur peregrinum hunc & novum morbum, fugiamus radicem omnium malorum, fugiamus præsentem gehennam. Gehenna namque, avarorum desiderium est. (*u*)

II. Sicut ii qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident: ita etiam mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum videt, semper reditus computat. Gratiùs aurum intuetur, quàm solem videt. Ipsa ejus oratio & supplicatio ad Dominum, aurum quærit; & vellet atque optaret, ut omnia ei in aurum converterentur. Denique, quod potest, frumentum in aurum convertere conatur; vinum in aurum mutat;

(t) *Eccli.* 31. 5. (u) *Chrysost. hom.* 14. *in* 1. *Cor.*

lana ei aurum efficitur; omnes fructus ejus, omne negotium, omne quod movetur, in aurum vertitur. Interdum etiam, usuræ arte nequissimâ, ex ipso auro aurum nascitur. Sed quid agis? Nec satietas unquam, nec finis aderit cupiditati. Nam interdum pueris gulæ nimiùm deditis indulgemus desideratos cibos avidiùs sumere, ut nimietate ipsá satiati horrescant, & avertant se de reliquo ab hujuscemodi cupiditate. Avaritia tamen nihil tale patitur; sed quantò plus invenerit, tantò ampliùs quærit. (*a*) Insatiabilis edacitas cupiditatis est. Nescit satiari argento, qui concupiscit argentum. Distendunt divitiæ, non explent. (*b*) Nec solùm crescendo non expletur, sed ardentior redditur appetitus. Velut ebriis occasio sitiendi est vini copia & augmentum: sic & qui repentè ditatus est, plura possidens plura concupiscit; & dum perpetuò cumulum auget, morbum perpetuò nutrit. Studium namque habendi, contrarios eorum voluntati agit effectus. Non enim tan-

(a) *Ambros. serm.* 81. *similia habes apud Basil. hom* 6. *in ditescentes.* (b) *Ambr. in Ps.* 1.

tùm eos ob jam parta non exhilarat, verùm ob ea quæ deesse videntur cupiditati, potiùs angit.... Quemadmodum qui scalas vel gradus ascendentes, ad ulteriora progressuri, continuò ad gradum sequentem vestigium attollunt, nec priùs quiescunt, quàm summam attingant: sic & hi à rerum cupiditate non priùs cessant, quàm in altum sublati sese à ruina firmos ac securos reddant.... Nec expletur oculus videndo, neque avarus accipiendo. (c) Insatiabilis est sola avaritia divitum; semper rapit, & nunquam satiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur: non patri parcit, non matrem agnoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat: viduam opprimit, pupilli rem invadit: liberos in servitium revocat: testamentum falsum profert. Res mortui occupantur, quasi & non ipsi qui hoc faciunt, moriantur. Quæ est ista, rogo, insania, amittere vitam, appetere mortem: acquirere aurum, & perdere cœlum? (d) Istas terrenas

(c) *Basil. hom. 7. in divites avaros.* (d) *Aug. de verb. Dom. serm. 25.*

divitias injustum est putare divitias, quæ non auferunt egestatem. Tantò enim magis quisque ardebit egestate avaritiæ, quantò magis eas diligens majores habuerit. Quomodo ergo sunt divitiæ, quibus crescentibus crescit inopia; quæ amatoribus suis, quantùm fuerint ampliores, non afferunt satietatem, sed inflammant cupiditatem? Divitem tu putas, qui minùs indigeret, si minus haberet. Unde benè quidam dixit:

Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit.

Cum pecuniæ enim incremento rabies cupiditatis augetur. Nam omnes avari vel cupidi velut hydropis morbo ægrotare videntur. Quomodo enim hydropicus, quantùm plus bibit, tantùm ampliùs sitit: ita & avarus vel cupidus acquirendo non satiatur. (*e*) Habes aurum, habes argentum; & concupiscis aurum, & concupiscis argentum. Et habes, & concupiscis; & plenus es, & sitis: morbus est, non opulentia. Sunt homines in mor-

[e] *Aug. hom.* 30. *ex* 50. & *serm.* 10. *de Sanctis, qui est* 3. *de SS. Innoc.*

bo, humore pleni sunt, & semper sitiunt. Quomodo ergo delectas opulentiam, si habes hydropem conscientiam? (f) Liquet quia avaritia desideratis rebus non extinguitur, sed augetur. Nam more ignis, cùm ligna quæ consumat acceperit, accrescit: & unde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulò pòst cernitur dilatari. (g) Nec unquam id quod additur, studium habendi restinguit, sed magis ac magis accendit atque inflammat. (h) Isti qui in opibus colligendis insaniunt desiderio & concupiscentia quadam, insaniam hanc indomitam nunquam sistere possunt; sed quantò magis suas opes augeri vident, tantò & concupiscentiâ magis flagrant. Neque antea à pessimo appetitu hoc absistunt, donec in ipsum malitiæ profundum descenderint. (i) Facilius namque est hominem volare, quàm acquisitione & accessione pecuniæ, cupiditatem habendi terminare. (k)

(f) *Aug. serm.* 5. *de verb. Dom.* (g) *Gregor. l.* 15. *Moral. c.* 12. (h) *Basil. orat.* 15. *de avaritia.* (i) *Chrysost. hom.* 22. *in Genes.* (k) *Idem hom.* 64. *in Matth.*

Si quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas,
Aut quot stelliferis edita noctibus
Cœlo sidera fulgent:
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno copia cornu;
Humanum miseras haud ideò genus
Cesset flere querelas. *&c.* (*l*)

Quare si opes nec submovere indigentiam possunt, & ipsæ suam faciunt; quid est, quòd eas sufficientiam præstare credatis? (*m*) Cur illas amatis, cur servatis, & augere frustrà tentatis? Nolo illas divitias, quæ quotidie augmento suo famem faciunt: & in posterum dignitatis suæ flore nudatæ, amatores suos esurire patiuntur. (*n*)

III. Videmus quosdam, cùm haberent pecuniam parvam, parvis lucris fuisse lætatos: sed posteà cùm cœperint abundare veris quidem copiis auri & argenti, sed tamen falsis divitiis, cùm parva obtuleris, jam recusant. Credas eos jam esse satiatos; sed falsum est. Nam major pecunia fau-

(l) *Poët. de Consol. l.* 2. *metro* 2. (m) *Idem l.* 3. *prosa* 3. *fine.* (n) *S. Valerian. Episc. Cemel. hom.* 8.

ces avaritiæ non claudit, sed extendit: non irrigat, sed accendit. Poculum respuunt, quia fluvium sitiunt. (*a*)

Atque ita & inter opes inopes,
quasi Tantalus ille,
Inter aquas sitiunt, nec habent
quod habere videntur.
Nam partis uti metuunt, servata
relinquunt;
Dumque alimenta parant, vivendi
tempora perdunt. (*b*)

Philippus II. Hispaniæ Rex in Symbolo suo posuit hæc verba: Non sufficit orbis. *Franciscus I. Galliæ Rex*, Unus non sufficit orbis. *Carolus V. Imperator*, Plus ultra. Vera sunt hæc omnia: neque enim vel universa mundi machina unum hominis cor impleat, quod Dei possidendi capax est, *ait, qui ista refert, P. Thomas le Blanc*, (*c*) *nec avari animo sat fuerit*. Nabuthe historia vetus est, usu quotidiana. Quis enim divitum non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem aviti ruris eliminare finibus?

(a) *August. hom.* 30. *ex* 50. (b) *Paulin. Natali* 10. (c) *in Ps.* 136. *n.* 20.

Quis contentus est suo? Cujus non inflammat divitis animum vicina possessio? Non igitur unus Achab natus est: sed, quod pejus est, quotidie Achab nascitur, & nunquam huic sæculo moritur. Si unus occidat, plurimi assurgunt: plures qui rapiant, quàm qui amittant. (*d*) O dives, nescis quàm pauper sis, quàm inops tibi ipsi videaris, qui te divitem dicis: Quantò plus habueris, plus requiris: & quidquid acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lucro avaritia, non restinguitur. (*e*) Ego sanè, *inquit Basilius magnus*, illum Diogenis omnium humanarum rerum contemptum & admiror & suspicio; qui quovis rege se multò ditiorem esse ostendit, cùm illud proferret, se longè paucioribus, quàm regem, in hac mortali vita opus habere. At avaris nisi adsint Pythii Mysi talenta, & tot ac tanta terræ jugera, pecorumque plures greges, quàm numerando percenseri possint, nihil satis erit. (*f*) *Mirum fortasse dicam, innuente Scripturâ sacrâ,*

(d) *Ambros. de Nabuthe c.* 1. (e) *Ibid. c.* 2.
(f) *Basil. orat.* 15. *de avaritia.*

ſuggerente magno Eccleſiæ Doctore Ambroſio: Facilius eſt imperare Soli, ut ſiſtat curſum, quàm avaro, ne concupiſcat & ſitiat aurum. Locutus eſt Ioſue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſraël, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Stetit itaque Sol in medio cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. (*g*) *Habes ſolem obedientem, & ſtantem: at non ita avarum. Præceperat idem Ioſue militibus, ne quid de civitatis Ierichuntinæ anathemate concupiſcerent.* (*h*) *Verùm Achan ſiti avaritiæ immoderatâ æſtuans*, tulit aliquid de anathemate: vidi enim, *inquit ille peccatum ſuum ipſi Ioſue confitens*, inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum: & concupiſcens abſtuli; & abſcondi in terra contra medium tabernaculi mei, argentumque foſsâ humo operui. (*i*) Itaque (*ſubdit illam avaritiæ ſitim & damna demirans S. Ambroſius*) Jeſus

(g) *Ioſue* 10. (h) *ibid.* 6. (i) *Ioſue* 7.

Nave, qui potuit ſolem ſiſtere ne procederet, avaritiam hominum non potuit ſiſtere ne ſerperet. Ad vocem ejus ſol ſtetit, avaritia non ſtetit. Sole itaque ſtante, confecit Jeſus triumphum; avaritiâ autem procedente pænè amiſit victoriam. (k) *Caveant ſitibundi illi pecuniarum, quod ſitienti quondam avaro gravis author, Iacobus de Vitriaco, (l) contigiſſe refert. Is cùm in vita, ardentiſſima ſiti, ſemper aurum ſitiſſet, liquatam poſt obitum in ſartagine pecuniam in os ejus dæmones refundentes, horribili clamore intonabant:* Aurum ſitiſti, aurum bibe.

(k) *Ambr. lib. 2. de offic. c. 26.* (l) *Apud Speranz. ſcript. ſelect. pun. 65.*



CONSIDERATIO V.

DIVITIARVM TYRANNIS.

I. NEmo poteſt duobus dominis ſervire. Non poteſtis ſervire Deo & mammonæ. (a) *Ergo mammo-*

[a] *Matth. 6.*

na dominus? Est utique eorum, qui per infamem vecordiam illius se imperio mancipárunt. At qualis ille dominus? Ipso Christo teste, alienus, iniquus; (*b*) *ex Petro Chrysologo*, crudelitatis dominus, sævus hostis, qui amando lædit, nudat ditando, ipsum captivat aspectum, fidem frangit, violat affectum, vulnerat charitatem, turbat quietem, adimit innocentiam, docet furtum, suadet fraudes, imperat latrocinium; (*c*) bella mandat, comparat bellatores, sanguinem vendit, agit mortes, prodit patrias, urbes destruit, subdit populos, arces urget, foro præsidet, jus delet, fas nefasque confundit, & ad mortes usque tendendo fidem tentat, violat veritatem, famam carpit, pietatem sepelit, necessitudinem scindit, amicitiam subruit. Et quid plura? Hoc est mammona, dominus iniquitatis, qui iniquè humanis & corporibus dominatur & mentibus. (*d*) *Hactenus ex eloquentissimo Ravennate Archiepiscopo. Ex Gregorio Nazianzeno*, Aurum occultus est tyrannus, per quem multa sursum

(b) *Luc.* 16. (c) *Chrysol. serm.* 29. (d) *Idem serm.* 126.

deorſumque, velut in talorum ludo, jactantur; (e) *ex Gregorio Nyſſeno*, Crudelis dominus, qui nullam unquam requiem ſervientibus ei præbere ſolet: ſed quantò plura diei ac noctis laboribus & cruciatibus imperio domini quæritant, cupiditatemque ſuam explere conantur; tantò magis anguntur, quaſi nihil fecerint, magiſque inanes ac fameſcentes reperiuntur. (f) *ex Chryſoſtomo*, Veſana divitiarum cupiditas, tyrannis quaquaverſum per orbem terrarum diffuſa: *quam divitiarum tyrannidem fuſiùs deinde deſcribens, ſic eloquitur*: præterquàm quòd deſerunt ſuam protectionem, etiam gladio tradunt, & in barathrum pertrahunt, eò quòd ſunt periculoſæ proditrices, cumque his potiſſimùm bellum gerunt, à quibus amantur. Ingratæ ſunt, fugitivæ, homicidæ, crudeles, tyranni acerbè imperantes, dominæ quovis barbaro ſæviores, inimicæ irreconciliabiles, hoſtes implacabiles, quæ nunquam erga eos, à quibus poſſidentur, remittunt ſimul-

(e) *Nazianz. orat. 24. poſt initium.* (f) *Nyſſen. lib. de vita Moſis verſus med.*

tatem. (*g*) *Et iterum ex eodem*: Pecuniarum cupiditas, ut natura ignoretur, persuasit. Ipsa parricidas & matricidas effecit. Ipsa omnia vitæ mala induxit. Ipsa suos amatores, quàm qui metalla effodiunt, nulla meliori conditione esse permittit. Ut enim illi perpetuò in tenebris inclusi, & ligati, maximis laboribus exercentur: ita & hi in avaritiæ speluncis defossi, nulla necessitate & vi, sponte sua supplicium subeunt, & seipsos insolubilibus vinculis alligant. At rei illi vesperi saltem laboribus relaxantur: hi autem, die noctuque hujusmodi mala metalla effodiunt. Et illis quidem mensura definita est laboris: hi verò nullam mensuram norunt, sed quantò magis effodiunt, tantò magis miseriam illam desiderant (*h*) *Pergit porrò aureus Ecclesiastes ostendere pejorem sordidorum Mammonæ mancipiorum conditionem, quàm damnatorum ad metalla: & simili stylo probat Isidorus Pelusiota.* (*i*) *Idem verò Chrysostomus, qui passim acerrimè insectatur & deflet miserandam auri amatorum*

(g) *Chrysost. hom. cùm Sartoninus & Valerianus acti essent in exilium. to.* 5. (h) *Chrysost. hom.* 23. *in* 1. *Cor.* (i) *Isid. Pelus. l.* 2. *epist.* 233.

servitutem, ferinos illos ostendit, imò feris ipsis sæviores & immaniores, quòd nunquam satientur & expleri poßint, nulli subsidio sint; parcant nulli; nihil cuiquam alii commune velint: imò dæmoniacis pejores atque atrociores pronuntiat, quòd nullis vinculis cohiberi poßint; non sibi solùm, sed & aliis, atque adeò omnibus, ipsis etiam parentibus & consanguineis, noceant; nec Christo auscultent, aut Dei verbo, minis, ac terroribus moveantur, nedum liberentur ab effreni habendi, acquirendi, retinendíve insania. Vnde inter alia addit: Meâ quidem sententiâ, cum mille dæmoniacis habitandum potiùs esset, quàm cum uno, qui hoc morbo laboraret. (k) *Et paulò pòst*: Quando enim omnes simul dæmoniaci tantum facinoris committent, quantum Judas commisit? qui ad extremam iniquitatem turpi pecuniarum ardore devectus est; pariterque omnes, qui avaritiam illius imitantur, quasi feræ bestiæ à catenis solutæ, cunctos homines nullo resistente perturbant ac lacerant. *Subdit deinde*: pejore hos dæmone, quàm dæmoniacos, vexari. *Et alibi*: Si quis

[k] *Chrysost. hom. 29. in Matth.*

ejuſmodi mentem inveſtigaret, non jam feras dumtaxat, ſed & dæmones appellandos duceret: (*l*) *imò dæmonibus pejores: nam* dæmon cum hominibus, non cum ejuſdem generis dæmonibus certat: avarus autem conſanguineum & familiarem pro viribus malo afficere conatur, neque naturæ eum pudet: (*m*) *& in mortuos etiam ipſos ſævit, cadavera eruendo & ſpoliando*, (*ut etiam fusè proſequitur laudatus Peluſiota*) (*n*) novum, *ut hic ait*, & ſceleratum latrocinii genus excogitans. *Denique, ut alia omittam, quæ facilè occurrent legenti eloquentiſſimum Chryſoſtomum, aſſerit is & probat, auri avidos quolibet monſtro eſſe horribiliores:* Et ſi quiſquam unam eorum concupiſcentiam fingere & exprimere volet, nihil neque ſcylla, neque chimæra, neque hippocentaurus, ad monſtroſitatem illam eſſe videbitur; ſed invenies eam omnes complecti beſtias. (*o*) *Idem oſtendit & Peluſiota, hæc præfatus:* Pecuniarum amorem nemo unquam aut fingere, aut deſcribere auſus eſt. Cujus rei hęc

(l) *Idem hom.* 9. *in* 1. *Cor.* (m) *Ibid.* (n) *Iſid. Peluſiota l.* 2. *ep.* 146. *&* 233. (o) *Chryſoſt. ho.* 7. *in ep. ad Coloſſ.*

fortasse causa est, quia nec amor quidem est, sed insanabilis furor. (*p*) *Furorem hunc, & tyrannicam cupiditatem exprimens Salomon*: Considerans, *inquit*, reperi & aliam vanitatem sub sole. Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem; & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens, Cur laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima. (*q*) Quid enim proderit homini de universo labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est? Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit. Et hoc nónne vanitas est? (*r*) Et quid prodest possessori, nisi quod cernit divitias oculis suis? Dulcis est somnus operanti, sive parum sive multum comedat: saturitas autem divitis non sinit eum dormire. (*s*) Quomodo enim potest dormire, qui sollicitam auri exercet custodiam, qui damna formidat, qui lucra cogitat, qui usu-

(p) *Isid. Pelus. l. 2. ep. 233.* (q) *Eccle. 4.* (r) *Eccle. 2.* (s) *Eccle. 5.*

ras computat, qui apothecas numerat? (t) Quid ergo prodeſt ei, quòd laboravit in ventum? Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna atque triſtitiâ. (v)

II. In tantum amor pecuniæ omnem animam fatigat, ut neque amicitiarum, neque propinquitatis, interdum etiam nec conjugis, aut filiorum amori det locum, quibus affectibus inter homines nihil præfertur: amor tamen pecuniæ omnia hæc humi dejicit, & pedibus conculcat; ita velut fera quædam & crudelis domina, omnium corda poſſidet, & tyrannicâ dominatione devincit. Sævit ut barbarus, fervet crudeliter ut tyrannus, debacchatur impudenter ut meretrix, nuſquam miſeretur, nuſquam pudet: adeſt ubique dura, ubique terribilis, dira, inclemens, impia, truculenta: &, cùm lupis, & urſis ac leonibus ferociùs ſæviat, ſuavis tamen hominibus videtur & amabilis. Et quid dico, ſuavis? Melle ipſo & favis dulcior. Cumque his, qui eam deſiderant &

[t] *Ambroſ. in Pſ.* 1. (v) *Eccle.* 5.

exoptant, gladios acuat, quotidie foveas & præcipitia paret, scopulisque illos mille, & mille naufragiis illidat: expetitur tamen ab eis, ac desideratur, & quæritur; ac per innumeras mortes suas lætantur se aliquando ad ejus saltem januam pervenisse. Volutari namque in cœno ejus, tanquam sues, delectantur, &, ut canthari, stercus ejus evolvere. Tales quodammodo omnes, qui avaritiæ huic manus dederint, infeliciores & turpiores etiam istis immûndissimis animalibus fiunt. Et hæc est major rei hujus infelicitas, quòd, quantò magis in his sordibus volutantur, tantò majorem in his capiunt voluptatem: idque non rei naturâ, sed voluntatis vitio patiuntur. (a) Quâ igitur erimus accusatione digni, quando criminosa & turpia tanto studio consectamur: fugimus verò, quæ gloriosos nos facerent & insignes, universique in ipsam pecuniarum tyrannidem concedimus? Siquidem illa dura est servitus, quavis tyrannide intolerabilior: quod profectò nec eos fugit, qui, eâ se ut expedirent,

(a) *Chrysost. hom.* Quòd nemo læditur nisi à seipso.

digni sunt habiti. (*b*) Nam si animum avari, nudum absque corpore, cogitatione perspexeris; invenies, sicut vestem mille tineis corrosam, sic utique à curis perforatum, à peccatis putrefactum, & habendi sollicitudine tabescentem. Non talis profectò animus sua sponte inopis est. Fulget ille quidem ut aurum, splendet sicut gemma, floret quasi rosa: nulla tinea ibi est, nullus fur, nulla cura sæcularis, sed vivit angelicâ vitâ. (*c*) Quid igitur hac peste (amore pecuniæ) gravius esse possit?... Qui pecunias diligit, innumeros habet suspectos, & multos accusatores, invidos, & calumniatores, & insidiantes... Et quid homines dico, cùm & Deum aliquis habeat hostem? Quæ jam huic spes supererit, quæ consolatio, quæ refrigeratio, (*d*) cùm animæ pecuniam præponat? (*e*) Qui pecunias diligit, nunquam eis uti poterit, sed servus erit & custos, non dominus: plures enim efficere studens, nequaquam impendere volet: semetipsum autem

(b) *Idem hom. de misericordia to.* 5. (c) *Idem ho.* 48. *in Matth.* (d) *Idem hom.* 63. *ad Pop.* (e) *Idem hom.* 23. *in* 1. *Cor.*

excruciabit, & omnium pauperum parcissimè vivet, nullum faciens cupiditatis terminum; (*f*) pecuniarum servus, non possessor: faciliùs enim alicui ex propriis carnibus, quàm ex defosso auro communicaret. (*g*) Nec de suo miser permittitur tangere, quod post se futuro cogitur reservare; qui sollicitiùs servat quàm acquirit, molestiùs custodit quàm rapuit. Suspirat enim vigilans acquirendo, suspirat dormiens reservando. Nec vigiliæ lætæ, nec somnus securus; nec dies lætus, nec nox quieta est. Discurrit, torquetur, ingemiscit; & quasi illi proficiat quod acquirit, sic augere desiderat, quod alii cum suo cruciatu relinquat: ut quale fuerit patrimonii pondus, talis sollicitudinis habeatur & cumulus. (*h*) Auri furor ardentiùs humano fervet in pectore, quàm caminus totus ignescit incendiis; & acriùs homines dissolvit in terra, quàm solvitur in calore flammarum. (*i*) Auri custos, servator argenti, securitatem

(f) *Idem hom.* 63. *ad Pop.* (g) *Id. hom.* 2. *ad Pop.* (h) *Idem hom. de misericordia & duabus viduis.* 10. 5. (i) *Chrysol.* 29.

tem non habet, nescit quietem: & cui deest securitas, quies perit: pœnâ dives est ille, non censu. (*k*) Quisnam igitur adeò teter & importunus est hostis, ut divitiæ? .... Siquidem acris ille atque inexplebilis pecuniarum amor, instar crudelis cujusdam & immanis tyranni, ipsis (*auri cupidis*) astat, sæva & inhumana edicta ipsis proponens. (*l*) Ecquis igitur acerrimo hujusmodi & inexplebili furore, atque innumera peccata, & maledicta, & dedecora, & intemperantias, atque petulantias nobis conflante, capiatur? Ecquis animum inducat, tum in hac vita tam miserè vivere, ut dies noctesque velut flagris quibusdam laceretur, nec requiem ullam aut somnum sentiat; & in futurâ suppliciorum atque cruciatuum initium accipere? Quid autem initium dico? Hîc enim eos, quos ceperit, tyranno quovis acerbiùs torquet & excruciat, in eos insultans, ac præcipuas partes at-

(k) *Chrysolog. serm.* 22. (l) *Isid. Pelus. l.* 2. *epist.* 146.

tingens, ac ne tantillùm quidem interquiescere sinens. (*m*)

III. Videte hominem oneratum sarcinâ avaritiæ; videte illum sub hac sarcina sudantem, anhelantem, sitientem, & laborando sarcinam addentem. Quid expectas, ô avare, amplectens onus tuum, & catenis cupiditatis alligans malam sarcinam sub humeros tuos? Quid expectas? Quid laboras? Quid inhias? Nempe satiare avaritiam. O vota inania, & facta nequissima! Expectas ergo satiare avaritiam. Illa te potest premere: tu illam non potes satiare. An fortè non est gravis? Usqueadeò sub hac sarcina sensum etiam perdidisti? Non est gravis avaritia? Quare ergo te de somno excitat, quæ te aliquando etiam dormire non sinit? (*a*) Dura jubet avaritia, levia Deus. Jubet illa, ut mare transeas; & obtemperas. Jubet, ut te ventis & procellis committas. Jubet Deus, ut ante ostium tuum, ex eo quod habes, des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum: &

(m) *Isid. Pelus. l. 2. ep. 233.*
(a) *August. de Verb. Apost. serm. 24.*

ſtrenuus es ad tranſeundum mare. Quia avaritia imperat, ſervis: quia Deus jubet, odiſti. (*b*) Quęre à quovis eorum, qui inſatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quidnam de his ſentiat, qui ſua vendentes & dantes pauperibus, regna cœlorum pro terrena mercantur ſubſtantia, ſapienter agant nécne? Procul dubio reſpondebit, ſapienter. Quære item, cur quod approbat, ipſe non facit? Non poſſum, inquiet. Quare? Profectò quia domina avaritia non permittit: quia liber non eſt: quia non ſunt ſua, quæ poſſidere videtur: ſed nec ipſe ſui juris. Si verè tua ſunt, expende ad lucra, & pro terrenis cœleſtia commutato. Si non vales, fatere te pecuniæ tuæ non dominum eſſe, ſed ſervum: cuſtodem, non poſſeſſorem. Denique & conformaris crumenæ tuæ, tanquam ſervus dominæ ſuæ, dum quomodo ille illi neceſſariò & congaudet gaudenti, & dolenti condolet: tu quoque cum creſcente tuo marſupio creſcis pariter animo, & cum decreſcente decreſcis. Nam &

(b) *Auguſt. in Pſ.* 128.

contraheris tristitiâ, cùm illud exinanitur: & lætitiâ solveris, aut certè inflaris superbiâ, cùm impletur. (c) O plangendum miserabiliter mentis expugnatæ servitium! ô intolerandum dæmonicæ cupiditatis imperium, ut ex hostibus suis, quos potest vincere, victores faciat suos! Promittit ingentia, & bonorum temporalium pollicitatione deceptos impellit jam miseros, & miserandos, in turpia. Tenet nos lucrorum pœnaliter dulcium catenis addictos, & in sua ditione captivos: nec trahit invitos, sed, quod est deterius, quoscumque voluerit, volentes ducit. (d) Apud Barbaros quosdam, *scribit Tertullianus*, quia vernaculum est aurum & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & divitiis malos onerant, tantò locupletiores, quantò nocentiores. (e) Vinculum divitiæ sunt, vinculum grave iis qui illis uti nesciunt; tyrannus crudelis & inhumanus, ad servorum pestem omnia præcipiens. (*f*) *Ejusmodi tyrannicæ cupiditatis vinculo irretitus erat Achab Rex*


(c) *Bern. serm.* 21. *in Cantica.* (d) *Prosper l.* 2. *de vita contempl. c.* 15. (e) *Tertullian. lib. de habitu muliebri.* (f) *Chrysost. hom.* 13. *in* 1. *Cor.*

Samariæ: qui, cùm ejus oculos verberaret vinea Naboth, & is illam dare recusasset; venit in domum suam indignans, & frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites dicens, Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem; & non comedit panem. *Ejus ægritudini & cupiditati satisfactura impia Iezabel uxor sua, litteris, Achabi annulo signatis, jussit falsò accusatum Naboth interfici.* (g) *Eâdem tyrannide possessus* impius Judas maluit minister esse diaboli, quàm Apostolus Christi, quem non timoris perturbatione deseruit, sed pecuniæ cupiditate distraxit.... Hoc perfidus Judas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, pervenit ad laqueum, & tam stultè impius fuit, ut triginta argenteis & Dominum venderet & Magistrum. (h) Quæsivit avaritiam, & invenit sacrilegium, dicens: Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? Matth. 26. (i) Cùm panem à Christo accepisset, immisit se in cor

(g) 3. *Reg.* 21. (h) *Leo serm.* 9. *de Passione.*
(i) *Ambros. in Ps.* 35.

ejus diabolus quasi possessionem suam vendicans, quasi portionis suæ jus retinens, quasi dicens: Non est tuus iste, Christe, séd meus, meús certè minister, tuus proditor. Meus planè iste est: denique tecum recumbit, & mihi servit: tecum epulatur, & mecum pascitur: à te panem accepit, à me pecuniam: tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit. Quàm vera diceret, probavit. Denique Christus recessit ab eo; ipse quoque Judas reliquit JESUM, secutus diabolum. (*k*) Servitis, divites, ac miseram quidem servitutem; qui servitis errori, servitis cupiditati, servitis avaritiæ, quæ expleri non potest. (*l*) Quousque non subigitis eum, qui vos subegit, mammonam? Quousque pecuniis servitis? Quousque libertatem non amatis, nec negotiationes istás avaras disrumpitis? Si in hominum redacti essetis servitutem, nihil non ageretis, si quis libertatem polliceretur; cùm verò avaritiæ captivi sitis, ne cogitatis quidem qua ratione ab acerba hac & illiberali liberari possitis servitute? (*m*)

(k) *Amb. ep. 82. vid. eund. in Ps. 118. ser. 12. n. 6.* (l) *Ambr. de Nabuthe c. 12.* (m) *Chrys. ho. 91. in Matth.*



CONSIDERATIO VI.

DIVITUM INOPIA.

I. **E**St quasi dives, cùm nihil habeat; *ex Hebræo*, Est ditans se, & nihil ei. (*a*) *Nihil omnino; quod tamen, dum somniat, aliquid, imò multum putat esse; sed* cùm dormierit, aperiet oculos, & nihil inveniet. Apprehendet eum quasi aqua inopia. (*b*) *Origenes legit*, Apprehendent dolores; *& sic explicat*: Ut ii, qui in somno divitias congerere videntur, cùm putarent gaudium adesse, expergefacti, quàm inani spe se dormientes paverint, intelligunt: simul enim cum somnio etiam abundantia sperata evanescit: sic etiam ii qui in mundo hoc divitiis affluunt, cùm hinc migraverint, nihil ampliùs, quàm ii qui in somniis se collocupletaverunt, habebunt: sed hunc unum fructum percipient, multitudinem dolorum, ac tortorum, qui ab eis pœnas & supplicia

(a) *Prov.* 13. (b) *Iob.* 27.

repetent. Quibus in ſuppliciis, nemo eis præſidio erit, non ſtipatorum, non eorum qui theſauros cuſtodiunt; ſed vacui quidem exinanitique pecuniis, nudi autem omni præſidio, exhibebuntur, & ſiſtentur; tenebræ verò eis porrectæ erunt ad ſupplicium. (*c*) *Verè Pſalmiſta :* Divites eguerunt, & eſurierunt. (*d*) Si enim de exteriori fame egeſtas eorum & eſuries diceretur, profectò divites non eſſent, qui pane corporis indigerent. Sed quia dum exteriùs multiplicantur, interiùs inanes ſunt, & divites pariter & egentes memorantur. (*e*) *Vnde Sapientia Mater ac Sedes canit, magnificans Deum*, quia divites dimiſit inanes. (*f*) *Veram egeſtatem & ærumnas avari divitis graphicè deſcribit magnus ille Dei ſervus Iob, in omnium rerum egeſtate Deo plenus:* Quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant, dicent: Ubi eſt? Velut ſomnium avolans non invenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna .... Divitias, quas devoravit, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. (*g*) *Vi extrahet, & evomere faciet:* Quemadmo-

(c) *Orig. in illud Iob.* (d) *Pſ.* 33. (e) *Greg. l.* 15. *Mor. c.* 5. (f) *Luc.* 1. (g) *Iob.* 20.

dum qui venenum hauſerunt, *inquit Olympiodorus*, (*h*) incitantur ad vomitum; ſic cùm quis divitias comparaverit injuſtè, cruciatur divulſis viſceribus illas ipſas effundere. Nec eſt ſatiatus venter ejus. (*i*) Venter quippe iniqui, avaritia eſt: quia in eo colligitur, quidquid perverſo deſiderio glutitur. Liquet verò quia avaritia deſideratis rebus non extinguitur, ſed augetur. (*k*) Et cùm habuerit quæ concupierat, poſſidere non poterit. Non remanſit de cibo ejus, & proptereà nihil permanebit de bonis ſuis. (*l*) Si enim de bonis ſuis ei aliquid permaneret, ſecum, quæ habuerat, tolleret. (*m*) Cùm ſatiatus fuerit, arctabitur. (*n*) Priùs quippe anhelat per avaritiam concupita congregare. Et cùm quaſi in quodam ventre avaritiæ multa congeſſerit, ſatiatus arctatur: quia dum anxiatur qualiter acquiſita cuſtodiat, ipſa eum ſua ſatietas anguſtat. (*o*) Æſtuabit, & omnis dolor ir-

(h) *apud Ioſeph. Speranzam ſcriptur. ſelect. puncto* 65. (i) *Iob.* 20. (k) *Greg.* 15. *Mor.* 12. (l) *Iob.* 20. [m] *Greg. ibi ſup.* [n] *Iob. ib.* (o) *Greg.* 15. *Mor.* 13.

ruet in eum. (*p*) Priùs namque dolorem habuit in ipsa suæ concupiscentiæ fatigatione, qualiter concupita raperet, quomodo alia blandimentis, alia terroribus auferret: at postquàm acquisitis rebus pervenit ad desiderium, alius hunc dolor fatigat, ut cum sollicito timore custodiat, quod cum gravi labore meminit acquisitum .... In his itaque omnibus, quia timor ipse pœna est, tanta infelix patitur, quanta pati timet. Post hoc quoque ad gehennam ducitur, & æternis cruciatibus mancipatur. Omnis ergo dolor super eum irruit, quem & hîc pœna concupiscentiæ, postmodum verò cura custodiæ, & illîc quandoque pœna ultionis cremat. (*q*) *Hinc rectè quoque contra infelicem egentemq; divitem pronuntiarat idem Iob*: Exardescet contra eum sitis. (*r*) Quia quo agere perversa consuevit, eo ad ebibenda mala vehementer accenditur. Impio quippe sitire, est hujus mundi bona concupiscere. Unde & Redemptor noster ante Pharisæi domum hydropicum curat: & cùm contra avaritiam disputaret, scriptum est: Audiebant autem

(p) *Iob.ibid.* (q) *Greg.15.Mor.13.* (r) *Iob.18.*

hæc omnia Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum. (Luc. 16.) Quid est ergo, quòd ante Pharisæi domum hydropicus curatur, nisi quòd per alterius ægritudinem corporis, in altero exprimitur ægritudo cordis? Hydropicus quippe quò ampliùs biberit, ampliùs sitit: & omnis avarus ex potu sitim multiplicat, quia, cùm ea quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia ampliùs & ampliùs anhelat. Qui enim adipiscendo plus appetit, huic sitis ex potu crescit: (*s*) & quadam inardescit ebrietate cupiditatum suarum, (*t*) quantùm auctior, tantò miserior. (*u*) Cupiditatibus *ergo* omnis divitiarum abundantia, inopia est. (*x*) Pauper quippe est ille dives, & quantò ditior est, tantò pauperior existit, paupertate quæ revera paupertas est. (*y*) Numquid posset quidpiam hoc morbo gravius esse? quòd qui habet, non videtur habere quæ possidet, & tanquam non habeat torquetur: & licet omnia consequatur, magis dolet ...

(s) *Gregor. 14. Mor. 6.* (t) *Ambr. epist. 82.* (u) *S. Zeno Episc. Veron. de avaritia serm. 1.* (x) *Ambr. Ep. 82.* [y] *Chrysost. hom. 25. in Ep. ad Hebr.*

& quantò plura possidet, tantò fit pauperior. Siquidem quantò plura congerit, tantò plura desiderat. Igitur quantò plura congerit, tantò est pauperior. Nam qui plura desiderat, is pauperior est. (z)

II. Divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. (a) Si ad litteram accipias, videtur te fallere. Respicis enim multos divites iniquos mori in divitiis suis, non factos fuisse pauperes cùm vivunt: vides illos senescere, perduci ad ultimum vitæ inter magnas copias divitiarum, celebrari in pompa funeris, in magnis effusionibus, perduci usque ad sepulchrum divitem, qui & expiravit in lectis eburneis, circumfluente familia suorum: & dicis in animo tuo, si nosti aliqua & peccata & scelera ejus: Ego novi quanta fecerit iste homo, ecce senuit, mortuus est in lecto suo, deducunt illum sui, pompa funeris celebratur: agnovi quæ fecerit; decepit me Scriptura & fefellit ubi audio & canto: Divites eguerunt & esu-

(z) *Chrysost. hom.* 14. *in* 1. *Cor.*
(a) *Psalm.* 33.

rierunt. Quando iste inops fuit? Quando esurivit? Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. Quotidie ad basilicam surgo, quotidie genu flecto, quotidie inquiro Dominum, & nihil boni habeo; iste non inquisivit Dominum, & inter tanta bona defunctus est. Sic cogitantem suffocat laqueus scandali. Escam enim mortalem quærit in terra, & veram mercedem non quærit in cœlo.... Noli ergo sic intelligere. Et quomodo intelligam? In bonis spiritualibus. Sed ubi sunt? Non videntur oculis, sed corde. Non video ista bona. Videt illa qui amat. Justitiam non video: non enim aurum est, non argentum est. Si aurum esset, videres: quia fides est, non vides: & si non vides fidem, quare amas servum fidelem? Interroga teipsum..... Cùm repletus fueris spiritualibus divitiis, pauper eris? Et ille dives ideò fuit, quia habebat lectum eburneum: & tu pauper es, cujus cubiculum cordis plenum est tantis gemmis virtutum, justitiæ, veritatis, charitatis, fidei, patientiæ, & tolerantiæ? Explica divitias tuas, ha-

bes illas, & compara divitiis divitum.... Egent ergo illi divites, egent, &, quod eſt gravius, pane egent. Ne fortè putetis, quia auro egent & argento, quamquam & hoc egeant. Quantum habuit quidam, & quis eum ſatiavit? Sic mortuus eſt egens, quia volebat plura acquirere, quàm tenebat. Egent & pane. Quare egent & pane? Si intelligas panem: ille enim dixit: Ego ſum panis qui de cœlo deſcendi, (Joan. 6.) &, Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. (Matth. 5.) (*b*) In magna egeſtate ſunt, qui de iniquitate ſunt divites: juſtitiæ opes, & ſapientiæ theſauros non habent: qui autem Domino ſerviunt, ea bona acquirunt, quæ perire non poſſunt. (*c*) Quid enim prodeſt homini, ſi aliena habeat, & ſua non habeat? Quid prodeſt homini, ſi pecunias poſſideat, virtutem verò non poſſideat? Cur ea, quæ ſunt aliorum, accipis, & tua perdis? Villam, inquit, fertilem habeo. Quid eſt hoc?

[b] *Auguſt. in illud Pſalmi 33. ſuprà.*
[c] *Proſper ſentent.* 85.

at animam fertilem non habes. Habeo mancipia; ſed virtutem non habes. Habeo indumenta; ſed pietatem non poſſides. Quod alterius eſt, habes; tua verò non habes. Si quis depoſitum tibi tradiderit, num te divitem poſſum vocare? minimè. Quid ita? quippe qui poſſideas aliena. Hoc enim eſt depoſitum: atque utinam depoſitum tantùm eſſet, nec acceſſio tibi ſupplicii fieret. (*d*) An putas illum poſſidere, qui theſauro ſuo die ac nocte incubans, avarâ & miſerâ torquetur ſollicitudine? Ille verò eget, &, ſi aliis dives videtur, ſibi pauper eſt, qui non utitur eo quod habet, qui adhuc alia rapit, alia deſiderat. Ubi enim nullus cupiditatis modus, quis fructus divitiarum? Nemo eſt dives, qui, quod habet, ſecum hinc auferre non poteſt. Quod enim hîc relinquitur, non noſtrum, ſed alienum eſt.... Annon egentior paupere is, qui tanquam umbra præteriit? Hodie impius exaltatur, cras non erit, & non invenietur locus ejus. Quid eſt igitur divitem eſſe, niſi abun-

(d) *Chryſoſt. in terræmot. & Lazarum ſerm. 6.*

dare? Quis autem abundat, qui sit animo contractior? Qui autem animo contractior, utique angustior. Quæ igitur in angustiis abundantia? Non ergo dives, qui non abundat. Unde pulchrè David, Divites, inquit, eguerunt & esurierunt. Quoniam cùm haberent Scripturarum thesauros cœlestium, eguerunt qui non intellexerunt: & esurierunt, qui nullum spiritualis gratiæ gustarunt cibum. (*e*) *De illis rursus* egregius Psaltes Israël, (*f*) *uno eodemq; Psalmo semel iterumq;*: Famem patientur ut canes. (*g*) Hujusmodi divites, egentiores sunt omnibus egentibus. Perdunt enim illos reditus, quos possunt habere perpetuos: & dum brevi nec semper libero incumbunt usui, nullo justitiæ cibo, nullâ misericordiæ suavitate pascuntur, foris splendidi, intus obscuri: abundantes temporalium, inopes æternorum: quia ipsi animas suas fame afficiunt, & nuditate dehonestant, qui de iis, quæ terrenis horreis commendarunt, nihil thesauris cœlestibus intulerunt. (*h*)

(e) *Ambr. epist.* 10. (f) 2. *Reg.* 23. (g) *Ps.* 58.
(h) *Leo serm.* 5. *de Collectis.*

III. Quid tanto fortunæ strepitu desideratis? Fugare, credo, indigentiam copiâ quæritis. Atqui hoc vobis in contrarium cadit. Pluribus quippe adminiculis opus est ad tuendam pretiosæ supellectilis varietatem: verumque illud est, permultis indigere eos, qui permulta possideant: contraque, minimo, qui abundantiam suam naturæ necessitate, non ambitûs superfluitate, metiantur. (a) Docet nos Scriptura divina, quàm miserè egeat dives, mendicet abjectè. Rex Achab in Israël erat, & pauper Nabuthe. Ille regni opibus affluebat, & tamen cespitem pauperis flagitavit: pauper nihil de possessionibus concupivit divitis. Rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur? qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? Alter certè pauper censu videtur, alter pauper est affectu. Affectus dives egere non novit, census abundans nequit avari pectus explere. Ideoque dives cupidus in invidia possessionis, & paupertatis querelâ est.

(a) *Boët. de Consol. l. 2. prosâ 5.*

Sed jam Scripturæ verba consideremus. Et factum est, inquit, post hæc verba : Erat vinea Nabuthe Jezrahelitæ in Israël juxta domum Achab regis Samariæ. Et locutus est Achab ad Nabuthe dicens : Da mihi vineam tuam, & erit mihi in hortum olerum, quoniam propinquat domui meæ, & dabo tibi pro ea aliam vineam. Si verò placuerit tibi, dabo tibi pecuniam pro vinea ista, & erit mihi in hortum olerum.... Da mihi, inquit. Quæ alia vox egentis est? Quæ vox alia stipem publicam postulantis, nisi, Da mihi? Hoc est, Da mihi, quia egeo... Da mihi, nisi tu dederis, habere non potero. Da mihi, quia scriptum est : Date eleëmosynam. Hæc quàm abjecta, quàm vilia? Non habent enim humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium. In ipsa enim dejectione quanta impudentia? Da mihi, inquit, vineam tuam. Confitetur alienam, ut poscat indebitam. *(b)* Pauperiorem enim se judicat omnis abundans, quia sibi deesse arbitratur, quidquid ab aliis possidetur. Toto

(b) *Ambr. de Nabuthe c.* 2.

mundo eget, cujus non capit mundus cupiditates. Ejus autem qui fidelis eſt, totus mundus divitiarum eſt. *(c) Specta & alium divitem, de quo Chriſtus Dominus apud Lucam; (d) & veram ejus inopiam attende cum Chryſoſtomo.* Dives erat quidam; nomine, non reipſa erat quidam dives, purpurâ indutus, cui menſa apponebatur opipara, vini crateres habens coronatos, qui convivia quotidie epulabatur. Alter verò quidam erat pauper, Lazarus nomine. Ubi ergo nomen divitis? nuſquam, qui nomine careat. Quantæ divitiæ? nec tamen illi nomen reperitur. Quales tandem hæ divitiæ? Arbor foliis vernans, ſed fructu deſtituta: quercus in altum protenſa, quæ glandem brutis animantibus in cibum ſuppeditat: homo, qui fructum non habet hominis. Ubi enim divitiæ ac rapinę, lupus eſt is qui cernitur: ubi divitiæ & feritas, leonem video, non hominem: nobilitatem perdidit ignobilitate malitiæ. Dives erat quidam, qui quotidie purpura induebatur: anima verò ejus araneis referta erat: unguenta

(c) *Ibid. c.* 16. (d) *c.* 16.

spirabat, at fætoris plenus erat: mensa illi apponebatur opipara; parasitos & adulatores alebat: carnem saginabat ancillam, dominam autem animam fame confectam negligebat: domus illi erat sertis redimita, sed fundamenta peccati calce obducta, & anima in vino defossa, &c. Cùm vidisset ergo Lazarum dives, ait: Pater Abraham, miserere mei. Pauperis sunt hæc verba, mendici, egeni. Pater Abraham, miserere mei. Quid vis? Mitte Lazarum. Quem millies prçteriisti: quem ne videre voluisti, hunc tibi nunc ad salutem mitti postulas. Mitte Lazarum. Ubi verò nunc pocillatores tui? ubi tapetes? ubi parasiti? ubi assentatores? ubi fastus? ubi superbia? ubi defossum aurum? ubi à tineis exesa vestimenta? ubi magnus apparatus, & voluptaria vita? Folia erant: advenit hiems, & exsiccata sunt omnia: somnia erant; ut autem dies illuxit, abscessit somnium: umbra erant; veritas venit, & umbra præteriit. (*e*) *Et somniantes illos, illos umbratiles divites, divites appellabis?* *Imò* plus egent, quan-

(e) *Chrysost. in terræmot, & Lazar. serm.* 6.

tò plus habent: desideriis vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitiâ contabescunt. (f) *Vide, præter innumeros alios, quos fortè & tu nosti, insignem unum ex ijs, quos mundus stultè divites appellat, egentem miserè & stultè mendicum.* Novi ego (*narrat Mediolanensis Episcopus*) divitem in agrum proficiscentem, panes breviores urbe delatos numerare solere, ut pro numero panis æstimaretur quot dies in agro futurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Comperi etiam viri fidem, siquando ei ovum esset appositum, queri quòd pullus esset occisus. (g) *Narrat & Robertus de Licio celebris Ecclesiastes, notum sibi fuisse quemdam (& ipsum etiam nominat) Ecclesiæ Sanctæ MARIÆ Majoris in Vrbe Canonicum, pluribus ecclesiasticis beneficiis & opulentâ hæreditate fratris sui Cardinalis admodum locupletem; qui tamen adeò miserè & sordidè, avaritiâ victus, sibi opibusq; parcebat,*

(f) *August. in Ps. 29. enarrat. 2.* (g) *Ambros. de Nabuthe c. 4.*

ut sæpiùs pane solo & aquâ vitam toleraret; mulam, cui insidebat, ne quid pecuniæ in famulum expenderet, solus ipse curaret; inculto lecto cubaret; infirmus, vix post multos dies, cùm jam morti proximus mortem horreret, medicum advocaret; vestibus obsoletis & laceris uteretur; pauperes pro uno denario suffocaret; semper discurreret, semper circuiret, anxius & sollicitus de thesauris augendis; crudelis aliis, crudelior sibi, inimicissimus Deo. O reprobanda conditio! ô feralis natura! ô denique reprehensibile malum! plus amare divitias, quàm Deum, quàm proximum, quàm propriam animam, quàm etiam corporalem vitam. (*h*) *Itaque, ut concludamus cum Sancto Chrysostomo*, Eos, qui perpetuò concupiscunt, sitiuntque aliena, ne putemus unquam esse sanos, nec ulla frui rerum copia. Etenim qui suam ipsius concupiscentiam non potest sistere, etiamsi cunctorum opibus vallatus sit, quomodo futurus est is unquam dives? (*i*) Antiquum dictum est, *scribit Sanctus Hieronymus*:

(h) *Rob. de Licio in suo Quadragesimali serm.* 40. *cap.* 1. (i) *Chrysost. de Lazaro conc.* 2.

(k) Avaro tam deest quod habet, quàm quod non habet. *Et*, *ex S. Bernardo*, (l) usus quidem divitiarum apud alios, divitibus solum nomen cedit & solicitudo.

(k) *Ep. ad Paulin.* Frater Ambrosius, *sub fin.*
(l) *De convers. ad clericos c.* 12.



CONSIDERATIO VII.

INOPIA DIVES.

1. Est quæstus magnus, pietas cum sufficientia: (*Alii vertunt*, Quęstus magnus pietas cum animo suâ sorte contento) Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium, quòd nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. (*a*) Nuda namque natura nostra prodiit, nuda discedit: non ergo superfluis opus habemus, si nihil intulimus, neque habentes aliquid proficiscemur. (*b*)

(a) 1. *Tim.* 6. (b) *Chrysost. ibi.*

Quid, quæso, nónne in hoc Angeli à nobis differunt, quòd non egent ut nos? Igitur quantò paucioribus indigemus, tantò magis illis appropinquamus: quantò pluribus, tantò magis ad hanc caducam vitam deflectimus.... Animadverte, in omnibus rebus miserum esse, pluribus indigere; & qui longè à sapientia est, ei & servitus & cupiditas intenditur. Quid ergo sponte nostrâ nobis miseriam augemus?... Nónne propptereà Adam beatum dicimus, quoniam nulla re indigeret, non domo, non vestibus? Sanè quidem. Verùm nunc in necessitate constituimur: sed cur augemus? ... Quantò plura amplecteris, tantò magis tuæ derogas libertati. Vera namque libertas est, nulla re indigere; in secundo loco, minimis, quam Angeli habent. (c) *Ad primævam illam primi hominis dignitatem, & angelicam libertatem, atque veræ sapientiæ apicem, evehens Discipulos suos Christus Dominus,* Nolite, *ait*, possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas,

(c) *Chrysost. in Ioann. hom.* 79.

tunicas. (*d*) Nam, *ut eloquitur, illud commentans*, *Chrysostomus*; cùm ad universi terrarum orbis magisterium, ipsos missurus esset, non injuriâ ad Angelicam, ut ita dixerim, disciplinam ex humana vita traducit, ab omni cura rerum sæcularium liberos reddens.... Nulla enim res tranquillitatem animi magis gaudiumque solet efficere, quàm si omnem curam & sollicitudinem deposueris; præsertim cùm liceat ipsis hujusmodi sollicitudine liberis nihil detrimenti accipere, Deo videlicet præsente, atque abunde ipsis omnia suppeditante. *Hæc Chrysostomus.* (*e*) *Remigius verò idem explicans*, revocatos illos esse, *ait*, ad primi hominis dignitatem, qui quamdiu cœlestes possedit thesauros, ista non concupivit: sed mox ut peccando amisit, ista desiderare cœpit. (*f*) *Quid autem deesse iis possit, qui nihil, saltem affectu, possideant? Deum verò habeant*, qui est omnia in omnibus. (*g*) *Quid non possident, qui sunt* hæredes Dei, cohæ-

F

(d) *Matth.* 10. (e) *In Matth. hom.* 33. (f) *Remig. in Catena S. Tho. in illud Matth.* (g) 1. *Cor.* 15.

redes autem Christi, (*h*) quem constituit Deus hæredem universorum? (*i*) Nihil igitur affectu sapientis ditius, nihil insipientis egentius. Nam cùm regnum Dei pauperum sit, quid esse locupletius potest? Et ideò præclarè Apostolus: O altitudo, inquit, divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei. (Rom. 11.) Præclarè etiam David, qui in via testimoniorum cœlestium, quasi in omnibus divitiis, delectabatur. (Ps. 118.) Expresse Moyses, qui ait: Neptalim satietas appetentium (*Vulgata habet*, Nephtali abundantia perfruetur) Deuteron. 33. Neptalim, abundantia significatur latinâ interpretatione, vel dilatatio. Ibi ergo abundantia, ubi satietas. Ubi autem fames cupiditatum, ubi inexplebilis appetentia, ibi utique paupertas. Sed quia vix ulla rei pecuniariæ vel mundi hujus cupiditas satietatem habet, ideò addidit: Et replebitur benedictione: (*Vulgata habet*, Et plenus erit benedictionibus;) (*k*) benedictionibus *utique* dulcedinis, (*l*) *quibus* vir sapiens implebitur: (*m*)

(h) *Rom.* 8. (i) *Hebr.* 1. (k) *Ambr. ad Simplician. ep.* 10. (l) *Ps.* 20. (m) *Eccli.* 37.

quoniam Dominus Deus Iſraël ipſe eſt poſſeſſio ejus. (*n*) Dixit Dominus ad Aaron : In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos : ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſraël. (*o*) *Poteſt aliquid ditius inveniri ?* Cui portio Deus, totius poſſeſſor eſt naturæ. (*p*) *Felix, qui cum Davide ex vero canere poſſit :* Portio mea, Domine : (*q*) Deus meus es tu : Dominus pars hæreditatis meæ. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, (*r*) *ut aurum, ut argentum, ut mundi quiſquilias & præſtigias, & nihil, contemnendo, comparem mihi* theſaurum non deficientem, (*s*) tanquam nihil habens, & omnia poſſidens ; (*t*) in Deum, *in Deo, & Deo* dives. (*v*) Dominus regit me, & nihil mihi deerit : (*x*) in pace in idipſum dormiam, & requieſcam. (*y*)

II. Quis dives ? qui nil cupit. Et quis pauper ? avarus. (*a*)

(n) *Ioſue* 13. (o) *Numer.* 18. (p) *Ambr. in Pſ.* 118 *ſerm.* 8. (q) *Pſ* 118. (r) *Pſ.* 15. (s) *Luc.* 12. (t) 2. *Cor.* 6. (v) *Luc.* 12. (x) *Pſ.* 22. (y) *Pſ.* 4.
(a) *Beda lib. Proverb. litt. Q.* 10. 2.

Neque enim dives est qui multa possidet, sed qui nihil desiderat, cùm nulla re indigeat. Animus enim dives debet esse, non arca. *(b) De illis veris & animi divitiis loquitur Apostolorum Princeps, damnans muliebris mundi vanitatem, & modestiam commendans Christianam, his verbis:* Sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti &. modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. *(c) In quem locum S. Ambrosius sic scribit ad Simplicianum:* Cùm Petri epistolam legerem, adverti quòd omnis sapiens etiam dives.... Duo sunt igitur, & esse hominem in homine, & illum esse divitem, qui sibi nullarum divitiarum usum requirat. Pulchrè autem cordis hominem dixit, eò quòd totus sapientiæ sit absconditus, sicut ipsa sapientia, quæ non videtur, sed intelligitur. Nemo ante Petrum tali expressione usus est, ut diceret cordis hominem. Exterior enim homo plurima in se membra habet. Interior autem cordis homo totus sapientiæ est, plenus gratiæ,

(b) *Bellarmin. de æterna felicit. l.* 1. *c.* 5.
(c) 1. *Petr.* 3.

plenus decoris. In incorruptione, inquit, quieti & modesti spiritus, qui est ante Deum dives. Et verè dives, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est. Sed solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Quis autem ante Deum dives, nisi quietus & modestus spiritus, qui nunquam corrumpitur? Nónne tibi videtur dives, qui habet pacem animi, tranquillitatem quietis, ut nihil concupiscat, nullis exagitetur cupiditatum procellis, nec vetera fastidiat, & nova quærat, & semper desiderando fiat in summis divitiis inops? Ea est pax verè dives, quæ superat omnem mentem (Philip. 4.) Dives pax, dives modestia, dives fides. Fideli enim totus mundus possessio est. Dives simplicitas. Sunt enim & divitiæ simplicitatis, quæ nihil discutit, nihil contractum, nihil suspectum, aut fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu. Dives bonitas, quam siquis servaverit, pascitur in divitiis cœlestis hæreditatis. *Hactenus*

Ambrosius. (*d*) Mira est securitas cordis, aliena non quærere: sed uniuscujusque diei victu contentum manere. Ex qua videlicet securitate, etiam perennis requies nascitur, quia à bona & tranquilla cogitatione ad gaudia æterna transitur. (*e*) *Verè* beatus vir qui timet Dominum. Gloria & divitiæ in domo ejus. (*f*) Domus enim ejus, cor ejus est, ubi Deo habitante, opulentiùs habitat cum spe vitæ æternæ, quàm hominibus habitantibus in marmoratis laqueatisque tectis cum timore mortis æternæ. (*g*) Iustitia ejus manet in sæculum sæculi. (*h*) Ipsa ejus gloria, ipsæ divitiæ: illius enim (*divitis, Luc.* 16.) purpura, & byssus, & epulæ splendidę, & cùm præsto sunt, transeunt: &, cùm ad finem venerit, aquæ guttam ex digito stillantem desiderans, ardens lingua clamabit. (*i*) *Ejusmodi inops, imò ejusmodi* dives qui talis est, ut contemnat in se quidquid illud est, unde inflari superbia solet, pauper est Dei. (*k*) *Tali* parasti in dulcedine tuâ pauperi, Deus:

(d) *Ambr. ep.* 10. (e) *Gregor.* 15. *Mor.* 13. (f) *Ps.* 111. (g) *August. ibi.* (h) *Ps. eod.* (i) *Aug. ibi.* (k) *Prosper sentent.* 250.

(*l*) in tua suavitate, non in illius facultate. (*m*) Pauperes ejus, *ais Domine Pater pauperum* (*Ecclesiâ sponsâ tua, cujus* omnis gloria ab intus) (*n*) saturabo panibus. (*o*) Quid est, Fratres? simus pauperes, & saturabimur. Multi præsumentes de sæculo, & superbi Christiani sunt, adorant Christum, sed non saturantur. Saturati enim sunt, & abundant in superbia sua. De talibus dicitur: Opprobrium eis qui abundant, & despectio superbis (Ps. 122.) Isti abundant, & ideò manducant, sed non saturantur. Et quid de illis dictum est in Psalmo? (21.) Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ. Adorant Christum, venerantur Christum, supplicant Christo, sed non saturantur sapientiâ & justitiâ ipsius. Quare? Quia non sunt pauperes. Pauperes autem, id est, humiles corde quantò plus esuriunt, tantò plus manducant: tantò autem plus esuriunt, quantò à sæculo inanes sunt. Qui plenus est, quidquid illi daturus es, respuit, quia plenus est. .... Edent pau-

(l) *Ps.* 67. (m) *August. ibi.* (n) *Ps.* 44. (o) *Ps.* 131.

peres, & saturabuntur. (Ps. 21.) Et unde saturati? Hæc saturitas, Fratres, qualis est? Deus ipse est panis. (p) Nihil *ergo* opulentius eo, qui paupertatem sponte diligit, & cum alacritate suscipit. Quomodo autem hoc? Dicam: &, si vultis, ipso Imperatore ditiorem esse pronuntio eum, qui sponte paupertatem elegit. Ille quidem opus habet pluribus, & in curis est constitutus, & veretur ne minus ei fiat ad ea quæ necessaria sunt stipendiis militaribus. Iste autem omnia affluenter habet, & de nulla re timet, &, si timet, non pro tantis tamen. Quis, dic mihi, ditior est? qui per singulos dies exigit, & festinat plura colligere, & timet ne aliquid ei deficiat: an ille, qui nihil colligens, in affluentia multa consistit, & nullius eget? Fiduciam quippe virtus tribuit, & Dei timor, non pecuniæ. Illę namque & in servitutem redigunt.... Quotquot sponte pauperes sunt; omnia bona habent ... Fiduciam habent ad Deum. Audient enim in die judicii beatam illam vocem: Venite benedicti Patris

(p) *August. in Ps. 131. suprà.*

mei (quid isto melius ?) possidete præparatum vobis regnum à constitutione mundi. (q)

III. Non putent divites hujus sæculi, Fratres Christi sola posſidere cœlestia, quia audiunt dicentem : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. (Matth. 5.) Non eos, inquam, æstiment sola cœlestia posſidere; quia ea sola audiunt in promisſione : posſident & terrena, & quidem tanquam nihil habentes, & omnia posſidentes : non mendicantes ut miseri, sed ut domini posſidentes : eò pro certo magis domini, quò minùs cupidi. Denique fideli homini totus mundus divitiarum est. Totus planè : quia tam adversa quàm prospera ipsius, æquè omnia serviunt ei, & cooperantur in bonum. Ergo avarus terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus. Ille possidendo mendicat, iste contemnendo servat. (a) Dives Enoch, qui, quod habuit, secum transtulit, & omnem illum bonitatis suæ censum cœlestibus intulit

(q) *Chrysost. hom.* 18. *in ep. ad Hebr.*
(a) *Bernard. serm.* 21. *in Cant.*

receptaculis : qui ideò raptus est, ne cor ejus malitia mutaret. Dives Elias, qui virtutum suarum thesauros, curru igneo sublimis, sedibus æthereis invexit. Et tamen iste non mediocres divitias hæredi reliquit, quas ipse non amitteret. Quis hunc pauperem vel tunc dixerit, cum victûs quotidiani indigens alimoniâ mitteretur ad viduam, ut pasceretur ab ea; quando ad ejus vocem cœlum claudebatur & aperiebatur; quando ad ejus verbum hydria farinæ & vas olei non deficiebat per triennium: sed abundabat, nec minuebatur usu, sed replebatur? Quis illum pauperem dixerit, ad cujus voluntatem descendebat ignis; quem in via flumina non concludebant, sed in suum fontem recurrebant, ut sicco Propheta transiret pede? Duos finitimos vetus historia describit, regem Achab, & pauperem Nabutham : quem horum pauperiorem, quem ditiorem credimus? Alter regali fulcro divitiarum præditus, inexplebilis insatiabilisque opibus suis, exiguam pauperis vineam desideravit. Alter despiciens animo (*paucula latinè exprimo, quæ habet Am-*

brosius gratè) Regum affluentes auro fortunas, imperialesque gazas, suo erat contentus palmite. Nonne videtur hic magis dives, hic magis rex, qui sibi abundabat, suas regebat cupiditates, ut nihil alienum concupisceret: ille autem egentissimus, cui aurum suum vile, alienus palmes pretiosissimus existimabatur? Sed qua ratione egentissimus, cognosce: Quia divitiæ injustę congregatæ evomuntur; radix autem justorum manet, & ut palma floret. (*b*) *Pauperes erant Apostoli, non divites, propter Christum omnia reliquerant; & tamen ditiores erant nihil habendo, quàm divites hujus sæculi multa possidendo.* Audite Petri vocem ostendentis paupertatem divitiarum matrem, quæ, cùm nihil habeat, quàm qui diademate ornantur, ditior est. Quippe quæ in omnium rerum inopiâ mortuos suscitat, claudos dirigit, dæmones expellit, & ea largitur, quæ quidem purpuram induti, & qui magnos & metuendos exercitus ductarunt, nunquam largiri potuerunt. (*c*) *Viro claudo petenti eleëmosynam*, Argentum, *inquit Petrus*, &

(b) *Ambros. ep.* 10. (c) *Chrysost. in* 1. *Cor. hom.* 15.

aurum non est mihi : quod autem habeo, hoc tibi do : In nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula. (d) Hoc est, portio mea hæc est, portio mea Christus est. In nomine igitur Christi JESU surge, & ambula : hoc est, in portione meâ dives sum, in portione meâ potens sum : meritò tales præsumo fructus istius portionis, ut salus & vita donetur : quia hoc est istius patrimonium portionis, quam elegi mihi. Dixit hoc claudo, & surrexit qui erat claudus ab utero matris suæ. Quomodo ergo Petrus poterat portionis suæ damna sentire, qui naturæ damna reparabat? Quare non habeas argentum atque aurum, Petre, dic nobis : dic etiam quid sit istud, quod habere te dicis, quia omnia quæ habebas, te reliquisse dixisti. Sic enim locutus es Domino : Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te (Matth, 19.) Hoc est, non quæsivimus quæ sæculi sunt, non quæsivimus partem de possessionibus, sed te elegimus portionem. Reliquisti omnia ergo, Petre, quæ habebas ; unde habes quod habere

(d) *Act.* 3.

te dicis? Surgit claudus, & sono tui sermonis erigitur. Sanitatem aliis donas, qui indigebas ipse tuæ salutis auxilio. Reliquisti ergo quæ habebas, & cepisti quæ non habebas. Christus tibi portio, Christus tibi possessio est... Portio tua non ariditate siccatur, non imbre diluitur, non frigore uritur, non tempestate quassatur.... Serva portionem, quam elegisti. Ea est enim portio, quam terrenæ partes æquare non possunt. *Hæc Ambrosius.* (*e*) *Hujus verò maximi Doctoris discipulus in fide & filius Augustinus, ingenio & doctrina itidem augustus, sic de eodem illo argumento.* De effectibus pretia rerum æstimentur. Qui aurum donabant, implebant pauperis ventrem, majus onus pedibus debilibus futurum, solabantur infirmitatem, sanitatem reddere non valebant. Ille autem qui aurum non possedit, sanitatem dedit. Deo dives est, inops auri. Aurum & argentum non habeo. Ideò igitur tantas virtutum opes prætulit. Quod habeo, hoc tibi do: In nomine JESU Christi surge

(*e*) *Ambr. serm.* 8. *in Ps.* 118. *v.* Portio mea Domine.

& ambula. Hoc planè non in marsupio, sed in animo tenebatur. Quid ei dedit? In nomine JESU Christi surge & ambula. Pauperem hominem expavit infirmitas, æquâ lege & æquâ potentiâ reges captivosque constringens: non potuit sustinere jussionem pauperis, regibus dominans. Parum est, quòd infirmitatem nominamus. Pauperis imperium, etiam natura non pertulit. Ille enim claudus erat ex utero matris suæ. Debilitas itaque, quam ei invexerat nativitas, vi pauperis jubentis exclusa est. Quod profectò non fieret, nisi pauper Apostolus plenus esset illo Deo, qui est author naturæ. Nihil ergo hac ditius paupertate. (*f*) Libet in fine opusculi (*verba sunt Hieronymi scribentis vitam Pauli Eremitarum coryphæi*) eos interrogare, qui sua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui uno filo villarum insuunt pretia: huic seni nudo quid unquam defuit? Vos gemmâ bibitis: ille naturæ, concavis manibus satisfecit. Vos in tunicis aurum texitis: ille ne vilissimum

(*f*) *August. de Verb. Apost. Serm.* 28.

quidem indumentum habuit mancipii vestri. Sed è contrario, illi quidem pauperculo paradisus patet: vos auratos gehenna suscipiet. Ille vestem Christi, nudus licet, tamen servavit: vos vestiti sericis, indumentum Christi perdidistis, Paulus vilissimo pulvere coopertus jacet, resurrecturus in gloriam: vos operosa saxi sepulchra premunt, cum vestris opibus arsuros... Obsecro, quicumque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris: cui si Dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quàm regum purpuram cum pœnis suis. (*g*) Planè beati, qui projectis vilibus, sed gravibus, sarcinulis hujus mundi, nolunt divites fieri, nisi de solo Creatore mundi, propter ipsum tanquam nihil habentes, & per ipsum omnia possidentes. Annon possident omnia, qui possident continentem & possidentem omnia; quorum Deus portio est & hæreditas: qui ut nihil desit timentibus eum, cetera, prout expedire novit, dispensat ad utendum, & seipsum servat ad fruendum? (*h*)

(g) *Hieron. in vita Pauli Erem. fine.* (h) *Guarric. serm. festo SS. Omnium.*



CONSIDERATIO VIII.

AVARVS IDOLOLATRA.

I. NOn poteſtis Deo ſervire & mammonæ. (*a*) *Vbi Gloſſa:* Mammona, Syrâ linguâ, divitiæ; quibus ſervire, Deum negare eſt. Dicitur hoc nomen eſſe dæmonis, qui præeſt divitiis, non quidem quòd in ejus ditione ſunt: ſed quòd his utitur ad decipiendum, irretiendo laqueis divitiarum. *Et S. Chryſoſtomus:* Hoc loco, & animo prorſus toto perhorreſcamus & corpore, intelligentes iſtud, quod Chriſtum dixiſſe memoravimus, ex adverſo ſcilicet Deum aurumque conſiſtere... Noli igitur ex ſuperfluo argumentari: ſemel ſiquidem pronuntiavit Deus, impoſſibile eſſe dicens, utrumque hoc ſimul eſſe ſervitium.... Dominum hîc autem mammonam, id eſt, pecuniam nuncupavit; non ob pro-

(a) *Matth.* 6.

priam ipsius utique naturam, sed ob eorum miseriam, qui se ad illius inclinavere servitium. Sic etiam ventrem Apostolus appellat Deum (Philip. 3.) non utique à dignitate dominantis, sed ab infelicitate famulantium. (*b*) Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus (*gracè*, qui est idololatra) non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. (*c*) Mortificate ergo membra vestra quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulachrorum servitus (*gracè*, idololatria.) (*d*) Videamus cur avaritia idololatria dicatur. Idololatria Dei honorificentiam usurpat, & vendicat creaturæ, cùm in nomine divinitatis, quod soli Conditori competit, participem illi asserit ejus facturam. Avaritia autem idcirco huic exæquata est, quia similiter ea quæ Dei sunt, sibi usurpat & recondit avarus, ut quæ usibus omnium concessit communi-

(b) *Chrysost. hom.* 22. *in Matth.* (c) *Ephes.* 5.
(d) *Coloss.* 3.

ter, avaritia deneget, quando idcirco hæc congregat apud se, ne alii utantur .... Vult Deus ac jubet de iis quæ creavit, subveniri pauperibus: avaritia contradicit. Vide an sine diabolo possit esse. (e) Defecit itaque à Deo avarus, & inservit auro: qui igitur non fuerit idolorum cultor? Porrò si dicat, non erexi idola; quid tum posteà? Non enim urbaniores Græcorum se idola adorare fatebantur, sed Venerem fortassè, aut Martem: qui cultus, affectus adeoque animi motus est.... Opinor autem Paulum ab Davide hoc dicere, alio tamen modo. Illo enim asseverante (Ps. 113.) Simulachra Gentium, argentum & aurum: ipse pro sua magna sapientià invertit: Argentum (inquiens) & aurum sunt idola. Proinde qui colit argentum & aurum, est idolorum cultor. (f) Avaritiam autem vocavit Paulus cultum simulachrorum, quoniam Servator mammonam dominum appellavit, docens quòd qui servit vitio avaritiæ, tanquam Deum colit di-

(e) *Ambrof. In ep. Ephes. 5. vid. eumdem in ep. Coloss. 3.* (f) *Theophylact. in illud Ephes. suprà.*

vitias. (g) *Audiamus & hic Angelicum Doctorem.* Vocat hic avaritiam idololatriam: quoniam idololatria est, quando honor soli Deo debitus impenditur creaturæ. Nunc autem Deo dupliciter honor debetur: scilicet ut in eo finem nostrum constituamus; & ut in eo fiduciam nostram finaliter ponamus: ergo qui hoc in creaturis ponit, reus est idololatriæ. Hoc autem facit avarus; qui finem suum in re creata ponit, & etiam totam suam fiduciam. Osee 8. Argentum & aurum suum fecerunt idola sua, ut interirent. Et hoc, quia; ut dicitur Proverb. 11. Qui confidit in divitiis suis, corruet. Sed cùm in aliis peccatis, ponat homo finem suum in creatura, cui amore inhæret; quare etiam in illis non dicitur peccator idololatrare? Respondeo. Idololatrare est aliquid exterius indebitè colere. Nunc autem in aliis peccatis, ponitur finis in interioribus quasi in propria delectatione. Sed qui ponit finem in divitiis, ponit in eis finem ut in re exteriori, sicut idololatra. *Ita sapientissimus Thomas.* (h) *Aureus verò Apostoli interpres*

(g) *Theodoret. ibi* (h *S. Th. in illud Ephes. suprà.*

Chryſoſtomus : Sunt autem, *inquit*, qui hyperbolen eſſe dicant, quòd avarum dixerit idolorum eſſe cultorem. Verùm non eſt hyperbolicè dictum, ſed verè. Quomodo, & qua ratione? Deficit à Deo avarus, quemadmodum ſimulachrorum cultor. Et ne putes temerè dici, eſt ſententia Chriſti quę dicit : Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ. Qui mammonæ ſerviunt, ſeipſos extra ſervitutem Dei ejecerunt. Qui verò dominium ipſius abnegant, & inanimato ſerviunt auro, clarum eſt ejuſmodi idolorum eſſe cultores. ... Vis & aliud audire, & cognoſcere quomodo avaritia ſit idolorum cultus, imò pejor etiam idolorum cultu? Idolorum cultores creaturas Dei adorant. Et venerati ſunt, inquit, & coluerunt creaturam pluſquàm Creatorem. (Rom. 1.) Tu verò tuam ipſius creaturam adoras : avaritiam enim Deus non creavit, ſed inſatiabilis illa immodeſtia tua adinvenit. Et vide inſaniam & vanitatem ridiculam. Qui idola adorant, honori etiam habent quæ adorant, & ſiquis contradixerit, aut convitiis illa inſe-

ctetur, pro virili tuentur. Tu verò quasi per ebrietatem rem adoras, quæ non solùm reprehensione non vacat, sed & impietate plena est. Itaque pejor es illis: neque enim defendere potes avaritiam, ac dicere non esse malam. (*i*) *Hæc ibi Chrysostomus, & iterum alibi pulcherrimè.* Idololatriam avaritiam appellavit Paulus; non tamen tam formidabilis est idololatria. Sed cur ita appellavit? Habent nonnulli pecunias, & his uti non audent, sed nepotibus reservant, & intactas ad alios transmittunt, tunc & tanquam Deo dedicata tangere minimè audent: quòd siquando coguntur, tanquam ad nefas aliquod timidè veniunt: prętereà tanquam quis idolum lapideum, aurum & claustris & vectibus cohibent, pro templo arcam præparantes, & argenteis vasis recondentes. Nónne ita aurum adoras, ut ille idolum? Ille & oculos & animam traderet potiùs quàm idolum: non aliter affecti sunt auri amatores. Sed non adoro aurum, inquis. Neque idolum, dicet ille, sed inhabitantem dæmonem.

(*i*) *Chrysost. in Ephes. hom.* 18.

Ita & tu; licet non aurum, ejus tamen aspectu & cupiditate, animæ insidentem dæmonem adoras. Dæmone enim gravior est pecuniarum cupiditas, cui multi magis obediunt, quàm illi idolis: illi enim in multis non parent, huic verò in omnibus: & quodcumque faciendum suggesserit, obsequuntur. Quid dicit avaritia? Esto omnibus inimicus, obliviscere naturam, contemne Deum, sacrificium mihi teipsum offer. Dicto citiùs parent. Et idolis quidem boves sacrificant: avaritia autem, Offer mihi animam tuam, inquit, & persuadet. Vide quas habeat aras, quæ libamina accipiat. (k) *Quare, quod severè præcepit Dominus Israëlitis, ut ab idolorum cultu removeret, sibi dictum existiment homines ne ad mammonam, ad sordidam pecuniæ cupiditatem sese transferant*: Nolite converti ad idola, nec deos conflatiles facietis vobis: (l) Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis: (m) Auferte deos alienos de medio vestri. (n) Servire Deo

(k) *Chrysost. in Evang. Ioan. hom.* 64. (l) *Levit.* 19. [m] *Exod.* 20. (n) 1. *Reg.* 7.

nequeunt, pecuniæ servientes, (o) mammonæ, qui hostis Christi atque inimicus est. (p)

II. Rectè definit Apostolus: Avaritia est servitus idolorum. Sicut enim idololatra servit simulachro, sic & avarus thesauro. Nam ille cultum idololatriæ diligenter amplificat, & iste cumulum pecuniæ libenter augmentat. Ille cum omni diligentia colit simulachrum, & iste cum omni cura custodit thesaurum. Ille spem ponit in idololatria, & iste spem constituit in pecunia. Ille timet mutilare simulachrum, & iste timet minuere thesaurum. (a) Non est tantùm in eo servitus idoli, si quis duobus digitulis thura in bustum aræ jaciat, aut haustum pateræ poculo fundat merum. Neget avaritiam esse idololatriam, qui potest triginta argenteis Dominum venditum appellare justitiam. (b) Verè quidem avaritia idololatria est: omnium quidem malorum initium, causa & finis, Nihil est iniquius, ait Sapiens,

(o) *Chrysol. serm.* 28. (p) *Chrysost. in Matth. ho.* 84.
(a) *Innocent. III. de contemptu mundi l.* 2. *c.* 12.
[b] *Hieronym. ad Heliodor. ep.* 1.

quàm amare pecuniam (*Eccli.* 10.) Qui pecuniam amat, similitudinem colit inanem; solidam verò deserit veritatem. Suffocat verbum Dei divitiarum fallacia, fallax quædam imago, umbra, figmentum. Parum est, quòd dicitur idolum, somnium est. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt viri divitiarum in manibus suis, ex omnibus, quos somniantes tenuere, thesauris. O Deus, quàm multos errare hæc somnia faciunt! (c) Sed non est opus ire per singula, cùm uno exemplo noscantur universa avaritiæ mala, Propheta attestante; Idola Gentium argentum & aurum. Unde apparet, eum, qui diligit aurum & argentum, non tantùm deos colere, sed eorum mores & actus imitari: cujus rei facilis probatio est illa, cùm interim quàm nostra sunt, videmus. Aurum, argentumque Christiane, si vera dicenda sunt, execraris in simulachris solis, in penetralibus tuis: nam & illic aureis, argenteisque innumerabilibus veluti templis

(c) *Galfridus apud Nieremberg. hom. caten.* 28. §. 4.

templis tereti monetâ percusis inesse similiter regum vultus, signaque cognoscis: nihilque aliud distat, nisi quòd in tua domo minuta sunt, in templo majora: quæ si erogaveris, pecunia est; si servaveris, simulachra. (*d*) Execrabilis est, qui facit idolum & in abscondito ponit: huic similis est, qui avaritiæ vitio laborat. Ut enim cultor idoli, numen adulterinum & inutile veneratur: sic avarus divitiarum imaginem animo complectitur, & colit. (*e*) Illud enim quis pro Deo habet, quod habet pro summo bono: & illud habemus pro summo bono, quo solo habito, si cetera desint, putamus nos esse felices; &, quod unum si desit, etiamsi habeamus omnia alia bona, putamus nos esse miseros. Dicit igitur avarus pecuniæ, Deus meus es tu: quia etiamsi ei desint honos, & sanitas, & virtus, & amici, modò pecuniam habeat, contentus est: &, si habeat omnia illa bona quæ diximus, & pecunia desit, putat se esse

(d) *S. Zeno de avaritia serm.* 2. (e) *S. Nilus de avaritia, orat.* 3. *fine.*

infelicem. (*f*) *Hinc breviter at nervosè S. Epiphanius* : Mammonas eſt Deus mundi : avaritia eſt Deus hujus ſæculi ; quem homines ſibi Deum elegerunt, & honorem erga ipſum apprehenderunt, & Dominum contempſerunt, ſicut dicit : Unum quidem amplectetur, alterum verò contemnet. (*g*) *Quare ſapientiſſimus Salomon execrandam iſtam idololatriam perhorreſcens, Deum enixè rogabat, ut quàm longiſſimè ab avaritia abeſſet* : Divitias ne dederis mihi : ne fortè ſatiatus, illiciar ad negandum, & dicam, Quis eſt Dominus. (*h*) *Et ejus Parens* : Inclina cor meum, Deus, in teſtimonia tua, & non in avaritiam. (*i*)

III. Repleta eſt terra argento & auro : & non eſt finis theſaurorum ejus. *Quid deinde?* Et repleta eſt terra ejus idolis. (*a*) Particeps idolorum Ephraim, (*b*) factus eſt quaſi columba ſeducta, non habens cor : (*c*) *hoc enim avaritiæ, opibus, idolis ſuis donârat* : & dixit : Verumtamen dives effectus

(f) *Ioan. Picus Mirandul. Commentar. in Pſ.* 15.
(g) *Epiphan. contra hæreſ.* 66. (h) *Prov.* 30.
(i) *Pſ.* 118.
(a) *Iſai.* 2. (b) *Oſe.* 4. (c) *ibid.* 7.

ſum, inveni idolum mihi, (*d*) *nempe mammonam, ſeu divitias, quas meâ unius induſtriâ peperi.* Sicut enim guloſi & luxurioſi Deus venter eſt: ita & avarus adorat auri idolum. (*e*) *Ex Chaldæo aliqui ſic vertunt & explicant:* (*f*) Inveni vim mihi, *ſcilicet pecuniam, quæ quaſi dominus, &, ut loquitur Gregorius Nyſſenus,* (*g*) occultus tyrannus, *mihi vim inferat, meque violenter opprimat. Diabolicum planè fuit illud conſilium, quo uſus eſt Ieroboam, ut populum ad idolorum cultum perduceret, atque ita ſibi addiceret: formavit enim vitulos non æreos aut plumbeos, ſed aureos, ut ſcilicet eo fulgore & pretio corda pertraheret; & quidem res ex voto impii regis ſucceßit:* Et excogitato, *inquit Scriptura*, conſilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite viri aſcendere in Jeruſalem. Ecce dii tui, Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Poſuitque unum in Beth-el, & alterum in Dan. Et factum eſt verbum hoc in peccatum: ibat enim populus ad adorandum vitulum uſque

(d) *Oſe.* 12. (e) *Hieronym. ibi.* (f) *vid. Corn. à Lapide ibi.* (g) *Orat.* 24.

in Dan &c. (*h*) *Nimirum & hîc Patres suos imitatus est populus iste, qui olim similiter vitulum aureum adoraverunt, dicentes*, Hi sunt dii tui Israël. (*i*) *De quo pulchrè S. Petrus Chrysologus:* (*k*) Aurum Judaicum populum sic suo captivavit aspectu, vicit illecebris, specie perdecepit, ut hoc esse Deum crederent; & Deum verum, Deum tot beneficiis cognitum, denegarent: sic convertit homines in jumenta, ut vituli caput, caput suum crederent, & omnium rerum capiti caput pecudis anteferrent. Attendite, quàm sit pernities ista fugienda: quæ cùm mores hominum, honestatem, vitamque perdiderit, ipsum quoque Deum voluit & contendit auferre. Hoc est, quod Judam fecit esse proditorem, ut hominem cogeret Deum negare, vendere germanum sui sanguinis, distrahere Conditorem, & ipsum sanguinem taxare pretio, quem sponte Dominus erat nostrum largiturus in pretium. *Hactenus aureus Ecclesiastes. Sed quonam modo dicunt Idololatræ illi Israë-*

(h) 3. *Reg.* 12. (i) *Exod.* 32. (k) *Serm.* 29.

litæ, Hi sunt dii, *cùm non nisi unicum esset idolum, unicus vitulus ille aureus? Contulerant nimirum aurum viri ac mulieres; atque ita factum, ut suas opes & sua monilia adamarent, & adorarent in vitulo ex illis conflato, ut ait Clemens Alexandrinus.* (l) *Superbissimus rex Nabuchodonosor, ut ab omnibus principibus & populis tamquam Deus adoraretur*, fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex. (m) *In quem locum sic Hieronymus*: Velox oblivio veritatis: ut qui dudum servum Dei (*Danielem*) quasi Deum adoraverat, nunc statuam sibi fieri jubeat, ut ipse adoretur in statua. Quòd autem aurea sit, & infiniti ponderis; illud in causa est, ut stuporem videntibus creet, & res inanimata adoretur ut Deus, dum unusquisque suam consecrat avaritiam. *Nempe rectè Ecclesiastes*: (n) Pecuniæ obediunt (*ex Arabico & Septuaginta*, humiliantur) omnia. *Omnes ei maximam submissionem exhibent, & genuflectunt, atque adeò ad terram usque procidunt. Hinc etiam Satan,*

(l) *Apud Speranz. Script. select. pun.* 67.
(m) *Dan.* 3. (n) *Eccle.* 10.

qui & ipsum Dominum tentatione aggredi ausus est, jam bis ab eo victus, tertiam, velut fortissimam machinam, avaritiam adhibuit : Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valdè : & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum ; & dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. (*o*) *Ubi S. Chrysostomus*, Quasi omnibus viis, *inquit*, fortiorem pecuniarum cupiditatem postremo loco posuit, antè jam quidem, & prorsus ab initio certaminis idipsum meditatione parturiens : extremum verò illud reservans, quasi quod omnibus valentius esse judicaret. Hic quippe mos deceptionis ejus est, ut quæ magis ad supplantandum idonea esse credit, hæc adhibeat extrema... Quemadmodum igitur istud superari oportet ? Ita proculdubio ut ipse Christus edocuit : ut scilicet refugiamus ad Dominum..... Terrena ista pro nihilo judicemus : & semper sciamus esse contemnendum, quidquid mensuram necessarii usus excesserit. Nihil enim sic diabolo subjici hominem facit, ut inhiare opibus,

[o] *Matth.* 4.

atque habendi amore superari. (*p*) Ab omni *igitur* avaritia, Fili, declina cor tuum, ut non condemneris sicut adulter & idololatra. Noli diligere opes terrenas, ne amittas cœlestes. (*q*) *Si mammonam adoras, cadis : ita* cadentes omnes populi, tribus, & linguæ, adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor rex. (*r*) *Ubi S. Hieronymus :* Omnem Scripturam sanctam mente percurrens, nisi tamen me fallit oblivio, nequaquam reperio, quòd Sanctorum quisquam Deum cadens adoraverit : sed quicumque idola, dæmones, & res illicitas adoraverit, cadens dicitur adorare : ut in prǽsenti loco (*Daniel* 3.) non semel, sed crebriùs. Et in Evangelio diabolus loquitur ad Dominum: (*Matth.* 4.) Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. (*s*) Ipse diabolus confitetur, quoniam adorare eum, & voluntatem ejus facere, cadere est à gloria Dei. (*t*) *Ita cecidit Iudas*, quem avaritia excœcavit; & Deo hujus sæculi,

(p) *Chrysost. in Matth. hom.* 13. (q) *Basil. Admon. ad filium spiritual.* (r) *Dan.* 3. (s) *Hieron. in Dan.* 3. (t) *S. Irenæus l.* 5. *c.* 22.

Mammoræ, addixit. (u) *Ita cecidere Ananias, & alii multi, quos* etiam avaritia occidit & perdidit. (x) *De Iuda projiciente triginta argenteos in templo, eleganter scribit S. Drogo Hostiensis Episcopus :* Vide quàm magni ponderabat eos, non projecit in sterquilinio, sed in templo : nimirum talibus diis templum suum devoverat : avaritia enim simulachrorum servitus est ; & avaritia excœcat oculos sapientum. *Deuteron.* 16. (y)

Heu ! quàm multi sordido isti idolo cor mentemq́ omnem devovent ; in illo toti sunt, & infelicißimè moriuntur ! Narrat ex Prospero Gabriel Inchino Canonicus Regularis Lateranensis (z) *rem horrificam. Mortuo quodam avaro, amici, ut, quo genere mortis sublatus esset, intelligerent, ejus cadaver dissecari curarunt. Lustrant singula, at cor non inveniunt. Rei novitate perculsi, diligentißimè omnia perscrutantur, ac tandem in nummorum aureorum cumulo reconditum cor ac sepultum reperiunt ; quin & cacodæmonem, draconis specie, cordi aßidentem, illudq́ discerpentem ac dilaniantem*

(u) *Epiphan. contra hæresim* 66. (x) *Epiph. ibid.* (y) *S. Drogo de Sacram. Domin. Paßionis.* (z) *Conc. de cordis mundit. p.* 2. §. 2.

vident non sine horrore, audiuntq; dicentem: Hoc aurum & argentum pretium est cordis, quod mihi vendidit amicus vester, eoque pro arbitratu meo uti possum. *Simile quid leges de usurario quodam Metensi, apud Cæsarium Heisterbachensem.* (*aa*) *Cum divinus Ecclesiastes Antonius Patavinus (bb) concionem haberet in exequiis divitis cujusdam avari, urgeretq; Christi verba*, Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum: *enthusiasmo actus*, Ite, *inquit*, inspicite defuncti thesaurum, videbitis quàm verè locutus sit Christus: ibi divitis cor invenietis. *Itum, & in thesauri medio inventum cor miseri illius mammonæ cultoris, quod palpitare inter nummos videbatur, quasi æstu avaritiæ adhuc exagitaretur. Ibidem, ut refert sanctus Antoninus, (cc) inventum cor alterius avari, qui hortantibus ad contritionem & peccatorum confessionem, respondebat id se non posse, quòd non haberet cor, esse hoc in capsa, inter nummos, in quibus spem omnem ac fidem suam collocarat. Alius item ejusmodi idololatra, ut*

(aa) *Lib.* 11. *cap.* 39. *vide & cap. seqq.* (bb) *Sur.* 13. *Iun. vitæ c.* 28. (cc) *Repertor. seu Sum. major. p.* 2. *tit.* 1. *c.* 2.

scribit sanctus Bernardinus, (dd) instante jam morte, seriò monitus à viro religioso, ut tandem saluti suæ prospiceret, nihil aliud, quàm lucrum, quàm merces, quàm pecuniam loquebatur: Quanti nunc pannus? quo pretio serica? quando appellent naves? Urgentiq; saniora sacerdoti, ut præsentem mortem confessione præverteret, planißimè respondit, se non posse, & cum dicto sordidam animam diabolo commendavit, *& exhalavit. Ita alter, nihil nisi usuram, quam post quatriduum recepturus esset, reponebat sacerdoti monenti de morte & anima curâ. Alius, nihil quàm conquerens & dolens, caras sibi unicè, animam & cor suum, divitias esse deserendas, easq; extremùm alloquens, immortuus est & sepultus in inferno. (ee) Alius, qui ut nummis parceret, in Nosocomium Constantiæ admitti petierat: morti proximus, pulmento, quod impatientißimè petierat, ex avena farina confecto, nummos hactenus occultatos imposuit, & cùm avidißimus absorbere nititur, auro suffocatus illicò extinguitur. (ff) Meritò sanctus Ambrosius, exponens illud Apostoli de divitiarum cupiditate*, Quam quidam appetentes, erra-

(dd) *Fer. 4. post Dom. 1. Quadrag.* (ee) *Robert. de Licio in Quadrages. Vide Nieremb. Discrim. temp. & aetern. c. 15.* (ff) *Nider formicar. l. 3. c. 5.*

verunt à fide, *sic scribit*: (gg) Vides, quia qui pecuniam amat, fidem perdit: qui aurum redigit, gratiam prodigit. *Et Guarricus Abbas*: (hh) Avarus quò plura possidet, pluribus eget. Quamquam nil minùs habeat, quàm quod habere se putat: cùm habeatur, non habeat, servus pecuniæ, mancipium avaritiæ, cultorque mammonæ, idololatra detestandus, cui nummus est Deus. *Talis erat Reginherus, Misnensis in Germania Episcopus. Hic thesauros suos, conscio nemine, coëgerat Goslariæ, in occulto conclavi; iis visus est miserè incubare totus, & immortuus. Illuc quadam die, à meridiana refectione secesserat: & cùm hæreret præter solitum, nec evocatus responderet, foribus tandem effractis exanimatus inventus est super pecunia acervos, tetro vultu, & faucibus elisis, haud dubiè ab inferno Plutone, qui ejus animum avaritiæ laqueo jam pridem strangularat: nam nemo alius intraverat ad injuriam inferendam.* (ii) *Recentius est, quod refert Franciscus Costerus noster*, (kk) *qui accidisse ait anno* 1553, *cùm inciperet in Italia*

(gg) *Serm.* 59. (hh) *Serm. festo SS. omnium.*
(ii) *Baron. an.* 1066. *n.* 13. (kk) *Conc. Dom. Sexages.*

habitare, in quadam urbe, quam ipse transivit. Infamis quidam mammonæ cultor, morti vicinus, adduci nunquam potuit, ut sacrâ confessione ad æternitatis iter se compararet. Ergo digresso, qui, ad molliendum flectendumq; ejus animum, conatum omnem nequidquam adhibuerat, Sacerdote Religioso; uxorem vocat vir, imò divitiarum servus perditissimus, & Heus tu, inquit, scutellam aureis nummis benè plenam quàm ocissimè huc ad me afferto. Ad auri fulgorem totus hilarescere infelix, oculisq; atque animo toto in illud intentus, Tu es, *inquit*, mea pecunia, tu sola juvare me potes & debes; quidquid oggannniant sacerdotes, tu mihi præsto eris. *Atque hæc impiè proferens, caput in scutellam demittit, versat, volutat, os, cor, totum se auro devovens, & expirat. Quis hîc tibi animi sensus, mi Christiane? Verè, ex Ecclesiastico:* Lignum offensionis est aurum sacrificantium. Væ illis qui sectantur illud; & omnis imprudens deperiet in illo. (*ll*) Quasi dicat, *ait Cornelius noster*; Aurum quod avari quasi suum idolum numenque colunt, & cui omni suo

[ll] *Eccli.* 31.

labore, cogitatione, affectu, & curis ſacrificant, eſt lignum, in quod ipſi offendunt, impingunt & corruunt in mille mala, ipſamque mortem, *mortem ſecundam, mortem æternam.*



CONSIDERATIO IX.

DIVITUM INSANIA.

I. SImul inſipiens & ſtultus peribunt. (*a*) Non idem eſt utrumque. Stultus eſt, qui nihil ſapit, & ſtulta intelligit: inſipiens, qui mala ſapit. (*b*) *At pecuniarum amator utrumque eſt, & ſtultus & inſipiens*; nihil ſapit, ſtulta intelligit, & mala ſapit. Quid eſt enim, dic quæſo, ſtultius homine qui laborat, & ſe excruciat, & tantas opes congregat, ut ex ejus laboribus alii ſe voluptate expleant? Quid eſt hoc inani labore deterius, quando ipſe quidem ſudores & labores perpeſſus deceſſerit, aliis autem divi-

[a] *Pſ.* 48. [b] *Ambroſ. ibi.*

tias fruendas reliquerit, & nec aliquibus quidem necessariis, & ei familiaritate conjunctis, sed sæpè etiam hostibus & inimicis? Et ideò non dixit, Aliis, sed, Alienis, relinquent divitias suas. (c) Ipsi ergo insipiens & stultus quando pereunt, alienis relinquunt divitias suas. Suum enim & legitimum stultitiæ & improbitatis hæredem reperire non possunt. Legitimi enim dicunt, Quia filii Dei sumus. Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur. (Rom.8.) Insipientes ergo divitias non habent, quia nec hæreditatem habent. Non habent divitias infidi, non possessionem. Fideli enim totus mundus possessio est. Non habent hæreditatem, quia sola est hæreditas credentibus in Deum. Suas autem divitias habent. Ideóque avarus dicit: Non habeo quò congregem fructus meos. (Luc. 12.) Non enim verus fructus, sed avari fructus pecunia est. Et Dominus avaro dicit: Vade, vende bona tua, &

[c] *Chrysost. in Ps.* 48.

ſequere me. (Luc. 18.) Non enim perfectum bonum eſt patrimonium : ſed hæc ſunt avari bona, quæ in emolumento aliquo conſtituta ſunt. Vende, inquit, quæ tua putas eſſe, cùm tua non ſint : quia ad alios, fluminis modo, tranſeunt ; & ſequere me, ut bonum immortale cognoſcas. (*d*) *Sed* vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. (*e*) Theſaurizat, & ignorat cui congregabit ea. (*f*) Quid tam vanum, quàm neſcire cui laboret hæredi ? Quis enim ſcit, ſi ſibi filius aut nepos proprius ſupervivat ? Sæpè conditis tabulis, teſtamentis ſcriptis, hæres funereo ambitu præcedit ad tumulum, aut hæreditatem ſuperſtes abſorbet, aut luxurioſus diſſipat, aut ſtultiſſimus non tuetur, aut proſcriptus amittit. Siquem ergo videris ſtudioſè divitias congregantem, dic & tu : Vanè conturbatur. Theſaurizat, & ignorat cui congregat ea. Neque enim ſecum poteſt auferre quæ poſſidet : & cùm morietur, relinquet a-

(d) *Ambr. in illud Pſ.* 48. (e) *Pſ.* 91.
(f) *Pſ.* 38.

lienis divitias suas. Succedit frequenter inimicus & ingratus, & decessori successor insultat. (g) *Hinc Salomon sibi ipsi onerosus est ob curam congregandi opes, & ait :* Detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit : & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & sollicitus fui ; & est quidquam tam vanum ? (*h*) Miserabilis prorsus infirmitas : quomodo venit, sic revertetur. Quid ergo prodest ei, quòd laboravit in ventum ? (*i*) Laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem. (*k*) Labor ejus sine fine erit : vita ipsius habebit finem... Quomodo vivet in finem? Quomodo vivebat ille qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè, & jacentem ulcerosum ante januam, cujus ulcera canes lingebant, & desiderantem micas, quæ de mensa ejus cadebant, superbus & tumidus contemnebat. Quid illi profue-

(g) *Ambr. in illud Ps.* 38. (h) *Eccle.* 2.
(i) *Eccle.* 5. (k) *Ps.* 48.

runt illæ divitiæ ? Mutaverunt vicem ambo ; ille à janua divitis sublevatus est in sinum Abrahę, ille ab epulis splendidis missus est in ignem : ille requiescebat, ille ardebat : satiabatur ille, ille sitiebat : ille laboraverat in finem, vivet in æternum : ille vixerat in finem, laborabit in æternum. Et quid profuit diviti, qui quæsivit, apud inferos, in tormentis positus, stillari sibi guttam aquæ in linguam suam de digito Lazari, dicens, Quoniam ardeo hîc in hac flamma ; & non illi concessum est ? (l) *Uter tibi videtur sapiens & prudens ; uter insipiens & stultus ? Quis demum tu ?* Per diem vexaris laboribus, per noctem agitaris timoribus. Ut saccellus tuus impleatur nummis, anima tua febricitat curis. Video, doleo : conturbaris, &, sicut dicit qui fallere nescit, vanè conturbaris.... Quare, inquis, vanè conturbor ? Ecce saccos impleo, parietes mei vix capiunt quod acquiro : quare vanè conturbor ? Thesaurizas, & ignoras cui ea congreges. Aut si scis cui, obsecro dic & mihi. Audiam te, cui.

(l) *August. in illud Ps.* 48.

Si non vanè conturbaris, dic, cui thesaurizas? Mihi, inquis. Hoc audes dicere moriturus? Filiis meis, inquis. Hoc audes dicere de morituris? Magna pietas; thesaurizat pater filiis: imò magna vanitas; thesaurizat moriturus morituris. Si propterea quia morituris dimittis, quid colligis? Hęc causa & filiorum: successuri sunt, non permansuri. Omitto dicere, qualibus filiis, ne fortè quod congregavit avaritia, perdat luxuria.... Omitto dicere, quia fortè dum vivis, thesaurizas furi.... Thesaurizas fortè latroni, fortè prędoni. Nolo amplius dicere...(m) *Tu cogita, mi Lector, & si fortè unus es ex illis vanis & insipientibus, eme sapientiam, ne* vanè conturberis, & labores in æternum; *ne congreges, ignorans cui congregabis*, tineæne demolienti, an furi effodienti; hosti diripienti, an igni devoranti. (n)

II. Audi conturbationem hominis, & vide si non est vana, ut calces eam, transilias eam, & habites in excelsis, ubi non est ista vanitas. Quæ

[m] *Aug. serm.* 50. *de Temp.* [n] *Bernard. serm.* 10. *in Cant.*

vanitas? Thesaurizat, & non cognoscit cui congregabit ea. O insana vanitas! Beatus, cujus est Dominus spes ejus, & non respexit in vanitates, & insanias mendaces. (Ps. 39) Delirare tibi videor, avare, cùm hæc loquor; anicularia tibi videntur hæc verba. Tu enim videlicet homo magni consilii, magnæque prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ, de negotio, de agricultura, fortassis & de eloquio, de juris-consultatione, de militia, addis & de fœnore. Homo cordatus nihil prætermittis omnino, unde nummus super nummum & in occulto diligentiùs acquiratur. Deprædaris hominem, caves deprædatorem: quod facis, times ne patiaris, & in eo quod pateris, non te corrigis. Sed non pateris. Prudens enim homo es, benè servas, non solùm benè colligis. Habes ubi ponas, cui committas, quomodo nihil pereat ex eo quod congregasti. Interrogo cor tuum, discutio prudentiam tuam. Ecce collegisti, ecce ita servasti, ut nihil possis amittere eorum quæ servasti: dic mihi, cui servas? Non tecum ago, non comme-

moro, non exaggero quidquid mali habet avaritia vanitatis tuæ: non dico, ne fortè, dum colligis, colligaris: non dico, ne fortè, cùm vis esse prædo, sis præda: hoc apertiùs eloquar. Fortassis enim cœcus avaritiâ non audisti, aut intellexisti. Non dico, inquam, ne fortè, cùm vis esse prædo minoris, sis præda majoris. Non enim sentis esse te in mari, nec cernis minores pisces à majoribus devorari. Non dico ista, non dico difficultates & pericula in ipsâ acquisitione pecuniæ: quanta patiantur, qui eam colligunt; quàm in omnibus periclitentur, in omnibus pænè mortem videant: transeo hæc omnia. Prorsus colligis nullo contradicente, servas nullo auferente: excute cor tuum ad prudentiam tuam, qua me derides, qua me insipientem putas hæc loquentem; & dic mihi: Thesaurizas, cui congregabis ea? (a) Obsederunt animum tuum sterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine veritatis, carnale pectus alta & profunda avaritiæ caligo cœcavit: pecuniæ tuæ capti-

(a) *August. in Ps.* 38.

vus & servus es : catenis cupiditatis & vinculis alligatus es : servas pecuniam, quæ te servata non servat : patrimonium cumulas, quod te pondere suo graviùs onerat..... Quid divitiis tuis solus incubas? Quid in pœnam tuam, patrimonii tui pondus exaggeras, ut quò locupletior sæculo fueris, pauperior Deo fias? (*b*) O detestabilis cœcitas, & cupiditatis insanæ profunda caligo! cùm exonerare se possit, & levare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. (*c*) Etsi congregetur pecunia sicut terra, atque ut lutum præparatum fuerit aurum, inanis erit sicut arena (*aliàs*, aranea) substantia eorum (*avarorum*) & omne patrimonium eorum tanquam tineis consummabitur. Dormiens dives nihil adjiciet : aperuit oculos, & jam non est, permanet in doloribus. Aurum in metallis, argentum in metallis. De metallo eruitur, & in metallum revertitur. Quid enim aliud,

(b) *Cyprian. de opere & eleemos.*
(c) *Cypr. epist. ad Donatum.*

nisi metallum est mens avari? quæ tanquam defossum tenet quidquid receperit, & in venis terræ ac latibulis abscondit, eò quòd uti nesciat. Quotidie aurum de metallis eruitur; de avaro proferre quis potuit? Cùm igitur nihil prosit vana fames auri, quia qui congregaverit, labitur; miserandi profectò, qui deseruerunt viam justam, & obliti sunt eam, cui pretiosi lapides haudquaquam sunt comparandi. *(d)* Et verè nihil est stultius, quærere *dubia*, & acquirere peritura. Quid enim prosunt homini opes, quæ ad hoc solùm congregantur ut pereant? Certè te moriente remanet cespes avaritiâ propagatus: relinquitur ampliata possessio: & quamvis sit in alterius potestatem transfusa, testimonium tamen tui sceleris servatura.... Stultitiæ genus est, aliis fecisse lucrum, & sibi parasse supplicium. *(e)* Revera stultos faciunt divitiæ & insanos. *(f)*

III. Videte, *monet incarnata Sapientia*, & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. Hominis cujus-

(d) Ambr. l. 3. de Interpellat. c. 5. (e) Valerian. hom. 20. (f) Chrysost. hom. 7. in ep. ad Coloss.

dam divitis uberes fructus ager tulit; &c. cogitabat intra se dicens, Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam: Destruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea; & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cujus erunt? (a) *Audisti, mi Christiane, Sapientiæ monitum? audisti & intellexisti divitis illius stolidam insipientiam, funestum exitum?* Quoties dives iste venit in medium, quem tot sæculis, orbe toto, die omni, clamor divinæ vocis accusat; toties divitiarum fallax fugatur illecebra, toties cupiditatum furens flamma restinguitur, avaritiæ toties rabies vesana mitigatur. (b) *Expendamus igitur singula, stupeamus, & sapiamus tandem.* Quid faciam? Miserum! quem ubertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, divitiæ fecere men-

(a) *Luc.* 12. (b) *Chrysolog. serm.* 104.

dicum.... Quid faciam? Interrogantis vox est: & quem, putas, interrogabat ille? Erat in illo alter; quia ad ejus penetralia jam diabolus possessor insederat: & qui intraverat in cor Judæ, mentis ejus tenebat arcanum. (c) Quid faciam? inquit. Quis non misereatur sic miserè curis obsessi? Ipsâ fertilitate miser erat ac timidulus. Miserabilis præsentibus & paratis bonis, miserabilior adhuc ob ea quę expectabat. Non enim proventus annui fruitionem ei terra ferebat, sed fletus & suspiria: non fructuum copiam, sed curas & dolores & graves anxietates sibi colligebat. Peræquè enim ac egestate pressi, miser affli̇ctatur, & ejulat (d) Quid faciam? inquit. Nónne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia vivendi? ... Clamat se dives non habere. Paupertatis hic sermo est; de inopia queritur, abundans fructibus. Non habeo, inquit, quò congregem fructus. Putares illum dicere: Non habeo fructus, unde vivendum est mihi? Beatus qui de abundantia periclitatur: imò miserior iste

(c) *Idem ibid.* (d) *Basil. hom. 6. in ditesc. avaros.*

iste fœcunditatibus suis, quàm pauper, cui periculum de egestate est. Habet ille, unde excuset ærumnam, habet certè injuriam, non habet culpam; iste non habet, quem præter se arguat. Et dixit: Hoc faciam: horrea mea destruam. Putes adhuc dicere illum: Aperiam horrea mea, ingrediantur qui tolerare famen non queunt, veniant inopes, intrent pauperes, repleant sinus suos.... (*e*) Horrea, iniquitatis sunt receptacula, non pietatis subsidia. Rectè destruet, qui sapienter ædificare non novit. Destruet sua dives, qui nescit æterna. Destruet horrea, qui non novit sua frumenta dividere, sed claudere. Et majora, inquit, faciam. Infelix! vel id dispensato pauperibus, quod pro sumptu ædificationis impendis. Dum liberalitatis gratiam refugis, damna ædificationis resolvis. (*f*) Clàm loqueris tecum. At tua verba in cœlo examinantur. Quapropter & inde tibi respondetur. Quæ autem dicit? Anima, inquit, habes reposita tibi multa bona: Comede, bibe, gaude. O verba stultissima! O de-

H

(e) *Ambr. de Nabuthe c.6.* (f) *Ambr. ibid. c 7.*

mentiam singularem! Nam si porcinam habuisses animam, quid aliud ipsi enuntiare potuisses? Itáne pecuinus tu, ita bonorum animæ ignarus, eam ut exceptes carnalibus epulis, & quæcumque alvi secessus recipit, animæ destines? . . . Jam quando terrena sapis, & deum habes ventrem, totus quoque caro effectus, vitiosis affectibus obsequeris; audi te dignam appellationem, quam tibi nullus hominum, sed ipse Dominus indidit: Stulte, hac nocte animam tuam abs te repetent: quæ autem præparasti, cujus erunt? Superat æternam pœnam irrisio ista stultitiæ. Qui namque paulò pòst abripiendus è vita, & ad supplicium abducendus, quale init tacitus consilium? Destruam horrea mea, & majora faciam.... Quid stultius, quàm laboribus nunquam finiendis se conficere, ac summo cum studio ædificare, nec minore curâ eadem demoliri? Habes, si vis, apothecas, ventres pauperum; thesauriza tibi thesauros in cœlo. Quæ illic reconduntur, ea neutiquam depascuntur tineæ, nulla depopulatur caries aut erodit, nulli suppilant prædones.

(g) O Fratres mei, cum quantis ſtultis Deus loquitur, quando Evangelium recitatur? Quando lectum eſt, qui audiunt, & non faciunt, ſtulti non ſunt? (h) Stulte, ubi tibi ſapiens videris, ibi ſtultus es..... Ecce increpatus eſt ſtultus, malè recondens. Si ſtultus eſt, qui recondit ſua; vos invenite ei nomen, qui rapit aliena.....! Fortaſſis aliquis reſpondeat, & dicat: Non valdè magna pœna erat illi homini, cui dixit Deus, Stulte. Non ſic dicit Deus, Stulte, quomodo dicit homo. Tale in quemquam Dei verbum, judicium eſt. Numquid enim Deus ſtultis daturus eſt regnum cœlorum? Probant hoc illæ quinque virgines ſtultæ, quæ extra januam leguntur excluſæ. (*Matth.* 25.) Quibus autem non eſt daturus regnum cœlorum, quid eis reſtat, niſi pœna gehennarum? (i)

(g) *Baſil. hom. 6. in diveſc. avaros. Vide & orat. 15. de Avaritia.*
(h) *Auguſt. to. 10. de diverſis. ſerm.* 33.
(i) *Auguſt. hom. 7. ex.* 50.



CONSIDERATIO X.

RADIX MALORUM OMNIUM CUPIDITAS.

I. RAdix omnium malorum est cupiditas (*nempe, divitiarum, ut patet ex antecedentibus, & habetur expressè in Græco*, amor pecuniæ.) quam quidem appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. (*a*) Dicitur radix omnium peccatorum, ad similitudinem radicis arboris, quæ alimentum præstat toti arbori. Videmus enim, quòd per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodlibet peccatum, & adhibendi desiderium cujuscumque peccati. (*b*) Avaritia enim omnia mala potest admittere. Ideò radix omnium malorum est: quia, ut desideria sua expleat (quod impossibile est) & ma-

(*a*) 1. *Tim.* 6. (b) *S. Th.* 1. 2. *q.* 84. *a.* 1.

leficia & homicidia & obſcœnitatem, & quidquid ſceleris eſt, perpetrat, nec ad præſens ſecura, quia ſemper cupida, & in futuro damnata. (c) *Hinc verè Siracides* : Avaro nihil eſt ſceleſtius. Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam : hic enim & animam ſuam venalem habet : quoniam in vita ſua projecit intima ſua. (d) Dura certè, & nimis formidoloſa ſententia. Si enim nihil eſt avaro ſceleſtius, nihil iniquius; non ergo melior parricidis, non præfertur inceſtis, æquatur hæreticis, aſſimilatur idololatris... Ne quis autem in hoc verbo, quod eſt, avarus, dubietatis ſcrupulus poſſet emergere, vigilanter addidit Scriptura : Nihil iniquius, quàm amare pecuniam. Igitur avarum eſſe nihil eſt aliud, quàm amare pecuniam. (e) *Iterum idem Eccleſiaſticus* : Si dives fueris, non eris immunis à delicto. (f) *Rurſus*, Qui aurum diligit, non juſtificabitur. (g) *Unde Propheta Habacuc* : Væ ei qui multiplicat non ſua : uſquequò & aggra-

(c) *Ambr. in illud Tim. ſup.* (d) *Eccli.* 10. (e) *Petr. Damiani, l.* 2. *epiſt.* 2. (f) *Eccli.* 11. (g) *Eccli.* 31.

vat contra se densum lutum? (*h*) Denso enim luto, *interprete S. Gregorio magno*, se aggravat, qui per avaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressione coangustat; (*i*) terrena lucra cum pondere peccati cumulat; (*k*) & , *ex S. Isidoro Pelusiota*, peccata cumulat, ut scarabæus scarabęam. (*l*) *Hinc Chaldæus pro* denso luto, *vertit* gravitatem peccatorum. *Quare Christus Dominus gravissimè mortales omnes admonet*: Videte, & cavete ab omni avaritia. (*m*) Non potestis Deo servire & mammonæ: (*n*) id est, divitiis: nam gentili Syrorum linguâ, Mammona divitiæ nuncupantur. (*o*) Audiat hoc avarus, audiat qui censetur vocabulo Christiano, non posse se divitiis Christoque servire. Et tamen non habet, Qui habet divitias: sed, Qui servit divitiis. Qui enim divitiarum servus est, divitias custodit ut servus: qui autem servitutis excussit jugum, distribuit eas ut Dominus. (*p*)

(h) *Habacuc.* 2. (i) *Gregor.* 34. *mor.* 13. (k) *Idem* 3. *p. Pastoral. admonit.* 21. (l) *Isid. Pelus. l.* 2. *epist.* 135. (m) *Luc.* 12. (n) *Matth.* 6. *Luc.* 16. (o) *Hieron. ep. ad Eustoch. & Comment. in Matth.* 6. (p) *Hieron. in illud Matth.*

Unde corripit Dominus avaratiam, & dicit, eum, qui amat pecuniam, Deum amare non posse; igitur & Apostolis, si velint amare Deum, pecunias esse contemnendas. Unde Scribæ & Pharisæi, qui erant avari, subsannabant eum, (*Luc.* 16.) carnalia, ut certa & præsentia, spiritualibus & futuris, & quasi incertis præponentes. (*q*) Est *igitur* Mammona hostis Christi atque inimicus: (*r.*) *& illum* iniquitatis *&* iniquum *nominat ipse Christus*; (*s*) quòd divitiæ de iniquitate collectæ sint, (*t*) *& omnis iniquitatis parentes.* Adeò quædam societas est pænè etiam nominis duabus his rebus, vitiis & divitiis. (*u*) Proluvies nummorum lutum invehit scelerum: quot sicli, tot scelera. Fœderantur divitiis vitia. Judas in marsupio tot laqueos reponit, quot argenteos. Æruginat sæpè innocentia, si pera fulgurat. (*x*) Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere: divi-

(q) *Hieron. tom.* 3. *ep.* 151. *Algasiæ quæst.* 6.
(r) *Chrysost. hom* 84. *in Matth.* (s) *Luc.* 16.
(t) *Hieron. modò citat.* (u) *Eucher ep. paræner.* (x) *R. P. Ioann. Paul. Oliva in cap.* 7. *lib.* 1. *Esdræ.*

tiæ si affluant, nolite cor apponere. (y) Videte, dilectissimi, & prudenter inspicite, quæ germina, & quales fructus, de avaritiæ stirpe creantur, quam meritò Apostolus radicem omnium malorum esse definivit: quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis appetitus illicitus, istius aviditatis est morbus. Amore pecuniæ, vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit; nullumque est in illo corde justitiæ vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculum. (z) *Hinc S. Isidorus Pelusiota volens ab amore divitiarum Martinianum Presbyterum avertere, sic scribit:* (*aa*) Ne divitias expetas, vir optime, quæ superbiam & arrogantiam pariunt, voluptates subministrant, vitii omnis architectæ sunt, & homini amicitiam ad Deum eripiunt. *Et Theodoretus:* Divitiarum affluentia avaritiæ faci materiam ministrat; & malitia, si opes adjutrices nacta fuerit, ingentem flammam accendit, dumque voluntati vi-

(y) *Ps.* 61. (z) *Leo serm.* 9. *de Passiore Dom.* (aa) *L.* 3. *ep.* 322.

res accedunt, malitiam reddunt intolerabilem. . . . Divitiarum enim thesaurus, iniquitatis thesaurarius est. *(bb)* *Quo eodem sensu Cyrillus Alexandrinus :* Quid igitur divitiæ ? Serviunt tantùm carni, & improbæ abominandæque voluptatis ministræ, & matres arrogantiæ, & radices ac procreatrices fastus sunt. *(cc)* *Chrysostomus verò :* Opes luxuriæ occasio, malitiæ schola, turpis vitæ, & defluentis causa, animæ corruptela, via ad diversa ferens mala, cursus nullum habens bonum, his qui utuntur se. *(dd)* *Denique iterum Spiritus sanctus :* Qui festinat ditari, non erit innocens. *(ee)* Non times, mi homo, radicem omnium malorum avaritiam ? De agro tuo extirpas radicem spinarum ; & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum ? Purgas agrum tuum, unde fructum capiat venter tuus ; & non purgas cor tuum, ubi habitet Deus tuus ? *(ff)* In quo radix est omnium

(bb) *Theodoret. serm. 6. de Provid.* (cc) *Cyrill. Alexandr. in Sophon. n.* 10. (dd) *Chrysost. hom. 7. de pœnit.* (ee) *Prov.* 28. (ff) *August. serm.* 205. *de Temp.*

malorum, ille consequenter omnium malorum reus esse convincitur: quia quorum habet in sui pectoris agro radicem, non potest venenatam vitare propaginem: (*gg*) ac sic census iste terrenus eis, à quibus vitiosè diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum. (*hh*)

II. Fugiamus itaque malorum radicem, & omnia vitabimus. Radix autem ea cupiditas est. Paulus loquitur, imò in eo loquitur Christus. Videamus planè an ipsa rerum experimenta testentur. Quid enim mali non pecuniæ faciunt, imò non pecuniæ quidem, sed mala voluntas ipsis uti nescientium? Fas enim est, pecuniis, sicut oportet, uti: licet, per illas regnum cœleste possidere. At nunc quæ in usum pauperum, in nostrorum remedia peccatorum, ad promerendam gratiam Dei, collatæ sunt nobis, eis nos contra inopum miseriam, imò veriùs contra nostras animas, in offensionem divinæ utimur majestatis. Nam qui pecunias tulit, alteriusque inopiæ est

(gg) *Petr. Damiani l. 2. epist. 2.* (hh) *Prosper l. 2. vit. contempl. c. 13.*

author, sibiipsi mortem conscivit. Et illum quidem impræsentiarum vexat inopia, seipsum verò supplicio exponit æterno. Num ulla est utriusque rei comparatio? Cujus ergo mali illæ non sunt causæ? Nónne harum causâ concupiscimus? non rapimus? non ejulatu perstrepimus? non inimicitias subimus? non conserimus rixas? non contentiones perpetuamus? nónne illæ ad mortuos usque extendêre manus? nónne inter parentes & fratres sævierunt? Nónne jura naturæ, ac præcepta Dei, & omnia prorsus violarunt, qui illarum tenentur desiderio? Nónne harum causâ judicia sunt instituta? Tolle itaque pecuniarum studium, & omnia mala sublata sunt. (a) Si ipsam rei naturam expendere oportet, nullum in humana vita scelus reperietur, quod non ob pecuniarum amorem perpetretur. Ob eas, cædes, & latrocinia, & calumniæ. Ob eas, non urbes dumtaxat, sed etiam incultæ ac desertæ terræ, cruore ac cædibus redolent. Ac ne à mari hoc malum abstinuit; verùm illic quoque

(a) *Chrysost. in* 1. *Tim. hom.* 17.

ingenti cum furore grassatur; prædonibus illud obsidentibus, ac novum quemdam latrocinii modum excogitantibus. Ob eas, & cognationis ac necessitudinis leges eversæ sunt, & naturæ sanctiones convulsæ, atque adeò sepulturæ jura labefactata. Hic enim improbus ac scelestus amor, non adversùs vivos dumtaxat, sed etiam adversùs eos, qui mortem obierunt, furum sepulchra effodientium manus armavit: quippe quæ ne eum quidem qui ex hac vita excessit, ab insidiis suis liberum atque immunem esse patiantur. Ac denique quæcumque mala quispiam invenire queat, sive in consiliis, sive in judiciis, sive in domibus, sive in urbibus, ex hac radice ea pullulare conspiciet. (*b*) Quis enim enumerare sufficit, quanta exuberent peccata ex inordinato amore temporalium facultatum? Heu quantos hic quotidie perire facit! Internos hic claudit oculos, nec futurum sinit prævidere judicium: diuturnam pollicetur vitam, prosperos promittit successus: &, cùm animi ab universali corporis

(b) *Isid. Pelus. l. 2. ep. 146.*

resolutione amoverit cogitatum, mox cupidi animam in barathrum demergit æternum. (*c*) De avaritia, proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obdurationes cordis, oriuntur. (*d*) Avaritia cœcitas est: errorem religionis inducit. Cœca, inquam, est avaritia, sed diversis fraudum oculata ingeniis: non videt quæ Divinitatis sunt; sed cogitat quæ cupiditatis sunt. Semper enim, quamvis dives sit, cogitat unde vel ex malo acquirere: totam vitam negotium putat, compendiorum etiam omnia supprimens, inanis præstationis suæ fœnus imponit. Erubescit usuræ nomen, & lucrum non erubescit usuræ. Semper ergo avarus alieno utitur, alieno se pascit damno; & illi præda, egestas alterius est; illi lætitia, fletus alienus. (*e*) *Quare à Sibylla* (*f*) *meritò vocatur avaritia*, dementia habendi, impietatis fons, *&c*; *à S. Athanasio*, (*g*) pessima peccatorum omnium radix; *à SS. Hieronymo, Ambrosio, Bernardo, & aliis, atque adeò ab*

(*c*) *B. Laur. Iustinia. discipl. Monast. conversat. c.* 4. (d) *Gregor.* 31. *Mor.* 17. (e) *Ambr. serm.* 59. (f) *L.* 8. *Orac.* (g) *hom. in sanctum Pascha.*

Apostolo, laqueus diaboli: (*h*) *Similiter divitiæ, à S. Gregorio Nazianzeno* (*i*) *dicuntur*, perditionis instrumentum; *à S. Cypriano*, (*k*) vincula, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima perclusa; *à Salviano*, (*l*) catena diaboli; *à B. Laurentio Iustiniano*, (*m*) arma diaboli, tentationum fomentum, rubigo mentis, exterminium quietis, passionum auctrices, & perfectioni inimicæ; *à S. Augustino*, (*n*) aurum, quod ærumna perquirit, quod avaritia cupit, quod sollicitudo custodit: aurum materia laborum, periculosa res possidentium, enervatio virtutum, malus dominus, proditor servus; *denique, ut incarnati Verbi verbo uno omnia complectar*, mammona iniquitatis. (*o*) Timeamus igitur, dilectissimi, timeamus tantorum malorum fontem. Insatiabilem cohibeamus furorem, nostræ salutis pestem. Nullo enim pacto simul stare possunt & argenti & animæ amor. (*p*)

(h) 1. *Tim.* 6. (i) *Auctar. Fabri Dom.* 8. *post Pent. them.* 5. *fine.* (k) *Serm.* 5. *de relapsis.* (l) *l.* 2. *ad Eccle. Cathol. sub finem.* (m) *de casto connub. c.* 6. *sub finem.* (n) *Serm.* 28 *de verb. Apost.* (o) *Luc.* 16. (p) *Chrysost. in* 1. *Cor. hom.* 23.

III. Calix aureus Babylon. (*a*) Nabuchodonosor volens decipere homines per calicem Babylonis dolosum, non miscuit in vase fictili, quod parabat potari; sed neque in paulò meliore, & æreo vase, vel stanneo, &c, quod ista præcellit, argenteo: verùm eligens vas aureum, in eo poculum temperavit, ut quis videns decorem auri, dum radiantis metalli pulchritudine delectatur, & totus oculis hæret in specie, non consideret quid intrinsecùs latitet, & accipiens calicem bibat nesciens calicem Nabuchodonosor, intelligens autem calicem aureum in præsenti nominatum. (*b*) Quid Babylonis nomine, nisi hujus mundi gloria designatur? quæ calix aureus dicitur: quia dum pulchra esse temporalia ostentat, stultas mentes in sua concupiscentia deebriat, ut speciosa temporalia appareant, & invisibilia pulchra contemnat..... Aureus ergo Babylon calix est: quia dum visum exterioris pulchritudinis ostendit, sensum internæ rectitudinis subtrahit. (*c*) Constitue ante oculos pom-

(a) *Ierem.* 51. 7. (b) *Origen. hom.* 2. *in Ierem.*
(c) *Gregor.* 34. *mor.* 13.

pam hujus sæculi, vide speciosam illecebram, sed inanem gratiam. Non seducant te aurea vasa & argentea. Habemus & nos thesaurum in vasis fictilibus. (2. Cor. 4.) Vas Apostolorum fictile est, sed in eo thesaurus est Christi. Væ siceram manè sectantibus. Aureum est hoc vas, poculum est, & in eo poculo venenum mentis, venenum libidinis, venenum ebrietatis. Hoc qui biberit, commovetur & cadit. (*d*) Notat hic calix aureus opes, luxum, ac consequenter idololatriam, quam Babylonii aliis Gentibus invexerunt. (*e*) *Calix ille* inebriat omnem terram: de vino ejus biberunt omnes Gentes, & ideò commotæ sunt. (*f*) A minore quippe usque ad majorem omnes avaritiæ student. (*g*) Omnes avaritiam sequuntur. (*h*) Turbati sunt, & moti sunt sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est. (*i*) Operti sunt iniquitate & impietate sua. Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum

(d) *Ambr. l. de Elia c.* 15. (e) *Corn. à Lapide ad illud Ierem. suprà.* (f) *Ierem. ibid.* (g) *Ierem.* 6. 13. (h) *Ierem.* 8. 10. (i) *Ps.* 106.


cordis, (k) *toti in auri cupidine, toti in desideriis inutilibus & nocivis, quæ mergunt homines in interitum*; (l) *non jam sui juris; sed suarum inanitatum, quas thesauros appellant, servi & mancipia vilißima.* Judas ille proditor venditurus Dominum, prætaxatum pretium à principibus exegit sacerdotum: Quid mihi, inquit, vultis dare, & ego eum vobis tradam? (Matth. 26.) Usque ad mortem Domini, amor lucri se ingerit; nec vitæ Salvatoris, quæstûs desiderium parcit. (m) *Spiridionem, virum sanctimoniâ & miraculis celeberrimum, monitus in somnis ab Angelo, evocârat ad se Constantius Imperator morbo pressus. Restitutus ab illo pristinæ valetudini, hostimenti loco, magnam ei auri vim offert. At ille*: Non sic oportebat, ô Imperator, *inquit*, odio remunerari amicitiam. Quæ enim à me propter te facta sunt, sunt revera amantis; domum relinquere, tantum maris transmittere, & hiemis ferre difficultatem, & ventorum in aqua immanitatem. Pro horum ergo remuneratio-

[k] *Ps.* 72. [l] 1. *Tim.* 6. [m] *Apud Cyprian. de jejun. & tentat. Christi.*

ne, aurum accipiam, quod est omnis mali causa, & facilè perdit, quidquid justum est? Quomodo non meipsum apertè accusarem, & summæ damnarem improbitatis? Hæc illo dicente, & se nihil accepturum affirmante, violentiùs instabat Imperator ut daret, dedecus quodammodo existimans, ut qui beneficio esset affectus, beneficium non remuneraretur... Et persuadet quidem illi, ut accipiat: non autem, ut quod datum fuerat, apud eum maneat. Cùm enim valere jussisset Imperatorem, distribuit omnia iis qui erant in Regiâ: reipsâ docens, quomodo oporteat esse affectos ad opes & pecunias, si velint esse liberi. Magna enim ad eas propensio, & nimis victum esse ab earum possessione, quid est apertè aliud, quàm voluntaria servitus? (*n*)

(n) *In vita S. Spiridion. c. 23. apud Surium 12. Decemb.*





CONSIDERATIO XI.

DIVITIARUM PERICULA.

I. **Q**Ui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, (*ex Chrysostomo*, stulta:) & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem: (*a*) adeò ut emergere, & resipiscere nequeant. (*b*) Ergo si divitiæ interitum in se habent, evitemus opulentiam, ne in interitum corruamus. Ampla ac locuples facultas perditionem inferre dicitur; refugienda est ampla possessio, ne consequatur profunda perditio. *Ita sapienter concludit Salvianus*; (*c*) *& Magistro nostro Christo sanè conformiter, divitum infelicitatem ac pericula apertis verbis non semel exponenti ac mi-*

(a) 1. *Tim* 6. (b) *Chrysost. ibi.* (c) *Ad Eccles. Cathol. l.* 2.

speranti: Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. (*d*) Interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens, vitam æternam possidebo? Dixit ei JESUS: Mandata nosti: Non occides, non mœchaberis, &c. Qui ait: Hæc omnia custodivi à juventute mea. Quo audito, JESUS ait ei: Adhuc unum tibi deest: Omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, sequere me. His illis auditis, contristatus est: quia dives erat valdè. Videns autem JESUS illum tristem factum, dixit: Quàm difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! (*e*) Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At JESUS rursus respondens, ait illis: Filioli, quàm difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei. (*f*) Quæ sententia, *inquit S. Ambrosius, verba faciens ad suos Mediolanenses*, vereor, ne fortè vobis

(d) *Luc.* 6. (e) *Luc.* 18. (f) *Marc.* 10.

conveniat, qui divitias ſæculi hujus aut habetis, aut quæritis. Sicut enim cameli, animal quod eſt tortuoſum atque deforme, perverſitas ipſa corporis per anguſtiſſimam acus cavernam præterire non patitur: ita & divites oneratos avaritiâ, & cupiditate fœdatos, ipſa vitæ deformitas per arctam viam regni minimè introire permittit. Ait enim idem Dominus: Arcta & anguſta via eſt quæ ducit ad vitam. Igitur in camelo difficultatem quæſtûs præſtat habitudo membrorum. In divite autem impedimentum magnitudo efficit peccatorum. Gibbus enim quidam eſt animæ, turpe quid vel cogitare vel facere, ac mentis quædam tortuoſa deformitas, immundis rebus ſemper attendere, & ab Eccleſiæ ſancto limine curis ſæcularibus avocari .... Rectè ergo camelo comparatus eſt dives .... Vterque habet ſarcinam ſuam. Ille oneratus eſt carnibus, iſte peccatis: & ſicut ille inhabilis eſt anguſtiſſimæ acus cavernæ, ita & hic inconveniens eſt beatiſſimo Dei regno: niſi quòd camelum corpore compoſitum natura, hunc autem

pravum voluntas efficit. (g) Quàm angusta porta, *clamat Veritatis Magister*, & arcta via est quæ ducit ad vitam! (h) Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum & impeditum animal, per angustum regni iter transire non poterit. Simul etiam ut se existimat pervenisse, sarcinam ejus exigua porta non capiens, repercusso limine retrorsum redire cogit. Tam enim angusta est diviti porta cœlestis, quàm camelo acus foramen exiguum. (i) Et quomodo, *inquiet aliquis apud S. Hieronymum*, (k) Abraham, Isaac, & Jacob, divites intrarunt in regnum cœlorum: & in Evangelio, Matthæus & Zacchæus divitiis derelictis, Domini testimonio prædicantur? Sed considerandum, *respondet maximus ille Scripturæ Interpres*, quòd eo tempore quo intraverunt, divites esse desierunt. Tamdiu ergo non intrabunt, quamdiu divites fuerint. Et tamen quia difficulter divitiæ contemnuntur, non dixit, Impossibile

(g) *Ambr. serm.* 4. (h) *Matth.* 7. (i) *Ambr. serm.* 10. (k) *in Matth.* 19.

est divitem intrare in regnum cœlorum; sed, Difficile. Ubi difficile ponitur, non impossibilitas prætenditur, sed raritas demonstratur. *Sic Hieronymus, qui consequentia Christi verba:* Et iterum dico vobis, Facilius est &c: *exponens, sic loquitur:* Hoc dicto ostenditur, non difficile esse, sed impossibile. Si enim, quomodo camelus non potest intrare per foramen acus, sic dives intrare non potest in regna cœlorum: nullus divitum salvus erit. Sed si legamus Esaiam (cap. 60.) quomodo cameli Madian & Epha, veniant Jerusalem cum donis atque muneribus: & qui priùs curvi erant, & vitiorum pravitate distorti, ingrediantur portas Jerusalem: videbimus quomodo & isti cameli, quibus divites comparantur, cùm deposuerint gravem sarcinam peccatorum, & totius corporis pravitatem; intrare possint per angustam portam, & arctam viam quæ ducit ad vitam. *Hactenus S. Doctor. At quàm difficilè divitiarum sarcina & immoderata cupiditas deponatur, jam clarissimè pronuntiavit Christus, & miraculo simile deinde asseruit: nam cùm* auditis his, Disci-

puli mirarentur valdè, dicentes : Quis ergo poterit salvus esse ? aspiciens JESUS dixit illis : Apud homines impossibile est ; apud Deum autem omnia possibilia sunt. (*l*) *Et*, si credis Hieronymo, scito, quòd de mille potentibus & divitibus mundi, vix unus invenitur aptus regno Dei. (*m*) Difficilè, *inquit idem*, homines potentes, & nobiles, & divites, credunt Deo : obcœcatur enim mens eorum divitiis, & opibus, atque luxuriâ : circumdati vitiis non possunt videre virtutes. (*n*) *Porrò divitias habere, & iis cor non apponere; divitem esse, & non velle esse divitem, hoc est, non esse avarum* (avaritia *enim* est esse velle divitem) (*o*) *quàm difficile sit, audi supremum Ecclesiæ Antistitem Innocentium III.* Faciliùs invenies, qui diligit divitias, & non habeat, quàm qui habeat, & non diligat. Quia difficile est esse in igne, & non ardere; difficilius est possidere divitias, & non diligere. (*p*) Avarus *autem* non habet hæredi-

(l) *Matth.* 19. *Marc.* 10. *Luc.* 18. (m) *Dion. Carthusian. de arcta via art.* 26. (n) *Hieron. in cap.* 3. *Ionæ.* (o) *August. serm.* 205. *de Temp.* (p) *Innocent. III. De contemptu mundi lib.* 2. *cap.* 15.

hæreditatem in regno Chrifti & Dei, *tefte Apoftolo.* (q) *Quare graviter Iacobus auri cupidis & divitiarum mancipiis magnam mœroris & luctus materiam denuntiat:* Agite nunc divites, plorate, ululantes in miferiis veftris quæ advenient vobis. Divitiæ veftræ putrefactæ funt: & veftimenta veftra à tineis comefta funt. Aurum & argentum veftrum æruginavit: & ærugo eorum in teftimonium vobis erit, & manducabit carnes veftras, ficut ignis. Thefaurizaftis vobis iram in noviffimis diebus. (r) *Heu qualis thefaurus!* ira furoris Domini. (s) Væ qui opulenti eftis in Sion.... qui feparati eftis in diem malum, & appropinquatis folio iniquitatis. Qui dormitis in lectis eburneis, & lafcivitis in ftratis veftris. (t) Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, ufque ad terminum loci: numquid habitabitis vos foli in medio terræ? (u) Tu verò, ô homo Dei: (x) non divitiarum homo, fed Dei; nec mammonæ fervus,

(q) *Ephef.* 5. (r) *Iac.* 5. (s) *Sophon.* 2.
(t) *Amos* 6. (u) *Ifai.* 7. (x) 1. *Tim.* 6.

ſed Chriſti, cujus ſunt omnia quæ videntur. Hæc fuge, quaſi cauſas perfidiæ, vel dolorum. Sectare verò juſtitiam, pietatem, fidem. In his te cupio divitiis eſſe locupletem. (*y*) Noli attendere ad poſſeſſiones iniquas, & ne dixeris: Eſt mihi ſufficiens vita: nihil enin proderit in tempore vindictæ. (*z*) Quem unquam à morte divitiæ redemerunt? imò quem non ad mortem divitiæ coëgerunt? Quem ab inferis ſuæ revocaverunt opes? (*aa*)

II. Difficilius eſt, divitem intrare in regnum cœlorum, quàm camelum per foramen acus. Hoc teſtimonium validum. Qui teſtatur, verus: perſuaſi verò pauci. Et quomodo, inquis, vivam, abjiciens omnia? quæ forma, quod genus vitæ illius erit qui omnia vendit, qui omnibus ſe privat? Ne me interroga dominicorum præceptorum ſententiam. Potuítne Legiſlator id quod fieri non poteſt, ſub lege comprehendere? Tu verò cor tuum ſicut in trutina expendes, an ad

[y] *Hieron. in illud* 1. *Tim.* 6. [z] *Eccli.* 5.
[aa] *Ambr. in Pſ.* 1.

vitam futuram ac veram, ſeu præſentem inanemque inclinet .... Quid, quæſo, gravaris? Quid doles, quòd audis: Vende quæ habes? (a) Utinam ſaperes miſer, & intelligeres, cum theſauro pecuniæ, theſaurum iræ pariter cumulari! Utinam noviſſima providens, animadverteres, facilè per foramen acus tranſituros non divitiarum cumulos, ſed delictorum! (b) Projice ſarcinam ſæculi; ne quæras divitias, quæ camelorum pravitatibus comparantur. Nudus & levis in cœlum evola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera. (c) Regna cœlorum expeditos, & alarum levitate ſubnixos, habitatores deſiderant. (d) Nam ideò nudi in ſæculo naſcimur, nudi etiam accedimus ad lavacrum, ut nudi quoque ad cœli januam properemus. Quàm autem incongruum & abſurdum eſt, ut quem mater nudum genuit, nudum ſuſcipit Eccleſia, dives intrare velit in cœ-

(a) *Baſil. hom. 7. in divites avaros.* (b) *Bernard. declamat.* Ecce nos reliquimus. (c) *Hieron. epiſt. ad Exuperant.* (d) *Idem epiſt. ad Iulian.*

lum? (*e*) Animus qui pecuniarum cupiditate distrahitur, non facilè ab his abstinet, quæ Deum ad iram provocant: utpote qui alterius servus sit domini, omnia ipsi contra divinas leges præcipientis. (*f*) Occasio tentationis est, & laqueus diaboli, velle habere divitias. (*g*) Hanc nos cupiditatem caveamus, dilectissimi. Cavebimus autem, si injustos homines, & injustè locupletatos, qui jam obierunt, considerabimus: quorum pecuniis & laboribus alii fruuntur, ipsi verò igni & suppliciis cruciantur intolerabilibus. Et quænam dementia, in hac vita anxiè semper, & in summis laboribus vivere, ut mortui pœnis immortalibus torqueamur? (*h*) Estote ergo pauperes: non sit auxilium vestrum, nisi in uno Deo. Pecunia nihil est; non inde auxilium habebitis. Multi propter pecuniam præcipitati, multi propter pecuniam perierunt .... Multi de amicis potentioribus præsumpserunt: ceciderunt

(e) *Ambr. serm.* 10. (f) *Chrysost. hom.* 7. *in Evang. Ioan.* (g) *Hieron. in* 1. *Tim.* 6. (h) *Chrysost. hom.* 39. *in Evang. Ioann. fine.*

illi de quibus præſumpſerunt, & involverunt eos qui de ſe præſumpſerant. Reſpicite exempla generis humani. Quid magnum eſt quod vobis dicitur? Non ſolùm de Scripturis ea loquimur; legite ea in orbe terrarum. Attendite non præſumere de pecunia, de amico homine, de honore & jactantia ſæculi. Tolle iſta omnia: ſed ſi habes illa, age Deo gratias ſi contemnis illa. Si autem inflaris inde, noli attendere quando eris præda hominum, jam diabolo præda es. (*i*) Avaritia planè Dei omnipotentis adverſùm ſe iracundiam provocat: & cor, quod poſſidet, vanis ſemper cogitationibus vexat. Hinc eſt, quòd de avaro conqueritur populo, dicens: Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus ſum, & percuſſi eum: abſcondi faciem meam ab eo, & indignatus ſum, & abiit vagus in via cordis ſui. (*Iſai.* 57.) Nulla ſanè putredo vulneris in Dei naribus intolerabilius fœtet, quàm ſtercus avaritiæ ... Hinc eſt, quod per Ezechielem dicitur: Argentum eorum foras projicietur, &

(i) *Auguſtin. in Pſ.* 131.

aurum eorum in ſterquilinium erit. Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini. (*Ezech.* 7.) (*k*) Quare, ne tu quoque unà cum illis expellare, desine tales divitias colligere, & materiam ac pabulum futuro igni ſempiterno præparare. (*l*)

III. Multi dati ſunt in auri caſus, & facta eſt in ſpecie ejus perditio eorum. (*a*) Diſperierunt omnes involuti argento: (*b*) qui ſibi, *exponit Hieronymus*, in divitiis confidebant, & tantas habebant opes, ut ſe quaſi involutos & ſeptos ſuis divitiis æſtimarent.... Conſidera, quòd non dixerit, peribunt; ſed jam nunc antequàm eis veniat ſupplicii dies, in eo ipſo quòd ſuperbiant, & ſemper de theſauris ſuis cogitent & ſerviant eis, perierint atque corrruerint. Quod qui intellexerit, puto eum non ſatis cupere divitias: in quibus non peribunt, ſed perierunt, qui erecti ſunt. (*c*) Ubi ſunt, qui argentum theſaurizant, & aurum,

(k) *Petr. Dam. l.* 2. *ep.* 2. (l) *Iſid. Pelus. l.* 4. *p.* 188.

(a) *Eccli.* 31. (b) *Sophon.* 1. (c) *Hieron. in illud Sophon.*

in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum? Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt. (d) Propter avaritiam Saül alienus à Domino effectus est, & ad extremum de culmine regali expulsus est, & ab inimicis suis peremptus est. Et Achab propter avaritiam invasit vineam Naboth: & hujus rei gratiâ, in prælio vulneratus, defunctus est. Dominus noster & Salvator à corde Pharisæorum volebat pecuniarum amorem excludere: sed quia illi erant cupidissimi, salutaria ejus monita deridebant. Nam & illum divitem, cùm Dominus vocans ad regna cælorum, facultates suas vendere præcepisset, aviditas intrare non permisit. Et Judæ pectus avaritiæ ardore exarsit, ut Dominum, largitorem sibi cunctorum bonorum, in manus traderet impiorum... Alienum te facito, Fili, ab hoc vitio; & voluntariam paupertatem libenter assume. (e) Quousque tandem auro parando operam dabis? auro, inquam, quod nihil aliud est,

(d) *Baruch.* 3. (e) *Basil. admonit. ad filium spiritual.*

quàm animarum quidam laqueus; mortis hamus, peccatique inescatio? (f) *Quocirca quos benignissimus IESVS regni sui participes efficere statuit, eos à divitiarum amore & possessione abducit. Matthæum ad Apostolicum fastigium evecturus*, vidit sedentem in telonio; & ait illi, Sequere me. Et surgens secutus est eum. (g) *Quod aureo sermone exponens Ravennas Archiepiscopus*: Sedebat utique, *inquit*, quia stare non poterat pondere cupiditatis oppressus, & ipsâ totus conscientiâ fraudis incurvus. Aurum naturâ grave, gravius fit avaritiâ nimis. Hinc est, quòd plus habentem deprimit, quàm ferentem: & vehementiùs aggravat corda, quàm corpora ... cœlestes animos ad inferna deponit: obscurat sensus semper: alta mentium semper in terrena demergit ... Meritò Matthæum Dominus talibus vinculis absolvi cupiens præpeditum suscitat, dicendo: Sequere me: hoc est, Me sequere de supernis ad superna tendentem, & non aurum de inferis ad inferna mergentem. *Ita Petrus Chrysologus.* (h) *Norber-*

(f) *Idem Orat.* 14. *de divit.* (g) *Matth.* 9. (h) *Ser.* 29.

tum, magnum illum deinde Præmonstratensis Ordinis Institutorem, ac Magdeburgensis Ecclesiæ Apostolicum Præsulem, nobilissimis parentibus natum, ab opum noxio amore & usu, aulæq; imperatoriæ illecebris, ad obsequium suum suaviter fortiterque pertracturus Cœlorum Rex, generoso vectum equo, magna ex mundi calculo genioq; spirantem, tonitru, fulgure, cœlesti denique voce terruit, & ad saniora perduxit: Norberte, Norberte, quid me persequeris? Corpus aptavi tibi; divitias, quibus te ostentas, administravi tibi: mihi servire debueras, & cur alios perdere festinas? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et subitò horrendùm tonante cœlo, elisus fragor, ad equi pedes dum circumfremit, simul ingentem creat terræ hiatum, quo equus & sessor absorberi potuit. Hoc cœli detonantis fragore, & velut quibusdam irati Dei minis perculsus Norbertus, post horæ intervallum, quasi de gravi somno, vigiliæ sibique redditus, evictusque, intimo dolore erupit in illud Sauli: Domine, quid me vis facere? Dixerat, & ecce de cœlo mox audiit illud:

Desine à malo, & fac bonum: *inquire pacem, & persequere eam. Obediit, & in alium planè virum abiit, opibus ceterisque mundi vanitatibus valere jussis, paupertatem virtutemque unicè sectatus, pretiosâ serico veste, auróque pulchrè intextâ, cum paupere mutatâ, & agninâ pelle, ut discipulus Agni illius esset, qui obmutuit coram tondente se.* (*i*) *Vtinam interiorem* Dei *monentis vocem, opumq; inanitatem ac pericula ostendentis, audirent tandem viri divitiarum, emergerentque è denso quibus infixi sunt, luto, pecuniarum mancipia! Desinerent sanè à malo, cujus radix fœcundissima est opum cupiditas; facerent bonum, sua in pios usus elargiendo; inquirerent pacem, ac persequerentur eam, ut quæ in divitiarum neglectu & paupertatis studio, ab ipso pacis authore, locata est.* Cùm sanctus Daniel Abbas Eulogium latomum cerneret inegentes præ aliis pium, precari apud Deum instituit, plures opes submitteret tam benè prodigo. Et annuere Deus est visus, si pro Eulogio sponderet, divitias fraudi, morum integritati non futuras. Convenit, spopondit

(i) *Lobbet. Gloria Patriarch.*

Daniel. Igitur Eulogius cum saxis thesaurum eruit; ad aulam abit, honores mercatur, struit palatia, emit mancipia, splendidè ac lautè victitat. Adest Daniel, officii sui amicum commonefacturus: sed surdam, ad pauperis vocem, januam reperit, verberibus pro stipe oneratus. Anxius proinde cùm à Christo crucifixo exsolvi vadimonio postularet, annuit Filii nomine Mater magna, mox etiam ipse Filius, eâ lege, ne simile posthac vadimonium faceret imprudens. Intereà Eulogius, mortuo Imperatore, honorum fastigio opibusque omnibus excidens, in latomias suas postliminio devolvitur: mox cum paupertate, pauperum amor, & unà virtutes omnes ab exilio revocantur. Tam malè, ô divites, vitæ sanctitati cum divitiis; tam benè cum paupertate convenit. (k) *Quam in rem addo & aliud, ex vitâ S. Antonini Florentinorum Archiepiscopi. Perambulabat fortè civitatem Præsul, insigni adversus egenos pietate notissimus: & ecce super tectum vilis cujusdam tugurii sese illi spectandos præbent Angeli. Rei no-*

[k] *Fasti Mariani 11. Julii, ex Pet. de Nat.*

vitate attonitus, casam intrat; viduam invenit cum tribus puellis, quæ, impigro manuum labore, victum comparabant, magnis virtutibus, sub vilibus & laceris pannis, ornatæ. Eis donat Antistes piissimus non levem pecuniæ vim, vitæ deinceps commodiùs instituendæ. Post aliquantum temporis, illac iterum transeundum fuit Antonino: at ecce aliud spectaculum. Neque enim jam Angeli; sed saltitantes Cacodæmones tectum occupabant. Sciscitatur à vicinis Florentinus, qui se gererent viduæ illius filiæ; auditque, à largissimâ stipe deditas ita vanitati, & otio torpentes, ut aliud nihil quàm mundanum fastum cogitarent & alerent. Verissimè Sanctus Hilarius: (l) Periculosa cura est, velle ditescere: & grave onus innocentia subit, incrementis opum occupata. *Et sanctus Gregorius Nyssenus:* (m) Ponderosa quædam res est aurum, onerosa res omnis, quæ divitiarum causâ expetitur: levis verò res quædam & sublimia petens, virtus. Verùm hæc sibi invicem opposita sunt, ponderosum & leve. Ergo nullâ ratione atque machinatione effici potest, ut levis sit is, qui sese

(l) *in Matth. c.* 19. (m) *de Beatitud. Orat.* 1.

pondere materiæ afficit. Si igitur ad ſuperna nos accedere oportet, ab iis, quæ deorſum trahunt, inopes & egeni ſimus, ut in ſupernis verſemur.



CONSIDERATIO XII.

DIVITIÆ SPINÆ.

I. Exponens *Chriſtus ipſe parabolam ſuam de eo qui* exiit ſeminare ſemen ſuum, *& de ſemine quod* cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt; *ſic ait*: Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt (verbum Dei) & à ſollicitudinibus & divitiis, & voluptatibus vitæ, euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum: *ut habet Lucas*; (a) *ſecundùm Marcum verò*: (b) Hi ſunt, qui verbum audiunt, & ærumnæ ſæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ, introëuntes, ſuffocant

(a) *Luc.* 8. (b) *Marc.* 4.

verbum; *secundùm Matthaum autem*, (c) Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis.: hic eſt, qui verba audit, & ſollicitudo ſæculi iſtius, & fallacia divitiarum ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur. *Ex quibus habes, juxta mentem & verba Servatoris, fallaces fallenteſque eſſe divitias, quæ velut ſpinæ cœleſtem ſementem ſuffocant, & inutilem reddunt. In quem Evangelii locum inſigniter Gregorius Magnus* Quis mihi unquam credidiſſet, ſi ſpinas divitias interpretari voluiſſem: maximè cùm illæ pungant, iſtæ delectent? Et tamen ſpinæ ſunt, quia cogitationum ſuarum punctionibus mentem lacerant: &, cùm uſque ad peccatum pertrahunt, quaſi inflicto vulnere cruentant. Quas benè hoc in loco, alio Evangeliſta teſtante, nequaquam Dominus divitias, ſed fallaces divitias appellat. Fallaces enim ſunt, quæ nobiſcum diu permanere non poſſunt: fallaces ſunt, quæ mentis noſtræ inopiam non expellunt. *Hactenus ſummus ille Eccleſiæ Pontifex & Magiſter.* (d) Niſi divitiæ & honores variis anxietatum aculeis pungerent,

(c) *Matth.* 13. (d) *Gregor, hom.* 15. *in Evang.*

nunquam ſpinis eas Dominus comparaſſet. (*e*) Radix omnium malorum eſt cupiditas, *ait Apoſtolus*, (*f*) quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inſeruerunt (*græcè*, transfixerunt; *ex Chryſoſtomo*, circumdederunt) ſe doloribus multis. Vides, *inquit Chryſoſtomus ibi*, quid ſignificare voluerit? Spinarum, inquit, in morem, quacumque ex parte tangantur, cruentant manus. Quibus enim curis anguntur avari, quibus doloribus cruciantur, quis explicare queat? (*g*) Nolimus igitur inter ſpinas ſemen jacere. Quænam hæc ſpinarum copia, noſtis, etſi tacemus; ſæpenumerò audiſtis Chriſtum præſentis vitæ ſollicitudines & divitiarum fraudes, ſpinas appellaſſe, & meritò ſanè. Nam quemadmodum ſpinæ ſteriles ſunt, ita & divitiæ. Quemadmodum illæ eos, qui tangunt, lacerant; ita harum cupiditas. Quemadmodum facilè igni comprehenduntur, & odio habentur agricolis: ita hujus ſæculi negotia. Poſtremò, ut inter ſpinas, feræ, viperæ,

(*e*) *Petr. Bleſens. ep.* 93. (*f*) 1. *Tim.* 6. (*g*) *Chryſoſt. hom.* 17. *in* 1. *Tim.*

ſcorpii, deliteſcunt: ita in fraudibus divitiarum. (*h*) *Nihil igitur mirum, ſi, ut loquitur Eccleſiaſtes*, Saturitas divitis non ſinit eum dormire. Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, atque triſtititia. (*i*) Excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, ſterilitas proventuum infœcunda perturbat, ſollicitat abundantia. (*k*) Labor in acquirendo, timor in poſſidendo, dolor in amittendo, mentem ejus ſemper fatigat, ſollicitat, & affligit. (*l*) *Qualis porrò terra illa, anima, inquam, terrenis rebus addicta, quæ ſpinas & tribulos germinat? Utique maledicta terra, dicente Apoſtolo*: Proferens autem ſpinas & tribulos, reprobata eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem. (*m*) Spinæ congregatæ igni comburentur; (*n*) igni, qui non extinguetur. (*o*) *Quare meritò Siracides ſpinoſas iſtas divitias dolores & labores appel-*

(h) *Chryſ in Evang. Ioan. hom.* 23. (i) *Eccle.* 5. (k) *Ambr. de Nabuthe c.* 6. (l) *Innoc. III. de contemptu mundi l.* 1. *c.* 16. (m) *Hebr.* 6. [n] *Iſai.* 33. [o] *Iſai.* 66.

lat, cùm ait: Nónne aliis relinques dolores & labores in divisione sortis? (*p*) *Et iterum :* Vigilia honestatis (*gracè*, divitiarum) tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum. (*q*) Propter hoc igitur eis, qui militant Deo, fugiendæ sunt ex toto corde divitiæ; quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia sollicitudine non possident, sine dolore non perdunt. (*r*) Opum cupiditas indivulsas comites habet vigilias & labores. Quid porrò absurdius esse potest, quàm cum magno studio & cura reconditas opes conservare, ac sexcentorum malorum occasiones sibi ipsi custodire? (*s*)

II. Divitiæ dictæ sunt curæ, quòd mentem dividant, atque in diversum scindant, & in partes trahant, nèc sinant incorruptam esse & integram. (*a*) Spinæ enim sunt revera divitiæ, nullum habentes fructum, visu deformes, & ad usum incommodæ, eos

[p] *Eccli.* 14. (q) *Eccli.* 31. [r] *Prosper de vita contempl. l.* 2 *c.* 13. (s) *Gregor. Thaumat. in Eccle.* 5.

(a) *Ambr. de Abraham l.* 2. *c.* 8.

qui tangunt molestia afficientes, non solùm ipsæ fructum non ferentes, sed id etiam quod germinat, impedientes. Tales sunt divitiæ: non solùm ipsæ fructum non ferunt æternum, sed eos etiam qui ipsum volunt possidere, impediunt. Rationis expertium camelorum nutrimentum sunt spinæ; ignis sunt esca, & sumptus ad nihil utilis, nisi ad succendendam fornacem, ad illum diem accendendum qui ardet ut clibanus, ad alendas rationis expertes animi perturbationes, odium, injuriæ acceptæ recordationem, & iram. Talis est etiam camelus qui rodit spinas. Dicitur enim ab iis qui hæc norunt, in jumentis nullum esse æquè iracundum, & quod iræ sit gravioris, & acceptæ injuriæ magis memor, quàm camelus. Tales sunt divitiæ: alunt rationis expertes motus animi: qui sunt rationis participes, pungunt & sauciant. Sicut usuvenit in spinis. Durum quid & asperum est hæc planta, ea suâ sponte nascitur. Videamus quomodo nascitur, ut ipsam exscindamus. Nascitur in locis præruptis, lapidosis, aridis, ubi nullus est humor.

Quando ergo est aliquis asper, præruptus, & præceps, hoc est, immisericors, in eo nascuntur spinæ. (*b*)

Spinæ sunt animo, quia semper inanibus angunt
Ancipites animas stimulis, quas jugiter urit
Defectûs miseri metus, & miser ardor habendi. (*c*)

Quos divites opinaris continuantes saltibus saltus, & de confinio pauperibus exclusis, infinita ac sine terminis rura latiùs porrigentes; quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defossæ strues: hos etiam inter divitias suas trepidos, cogitationis incertæ sollicitudo discruciat; ne prædo vastet, ne percussor infestet, ne inimica cujusque locupletioris invidia calumniosis litibus inquietet. Non cibus securo somnúsve contingit. Suspirat ille in convivio, bibat licet gemmâ; &, cùm epulis marcidum corpus torus mollior alto sinu condi-

(b) *Chrysost. in 2. Thessal. hom.* 3.
(c) *Paulin. Natali* 10. *sub fin.*

derit, vigilat in pluma: nec intelligit miser speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, & possideri magis quàm possidere divitias, atque opes. (*d*) *Quæ omnia paucis, sed nervosè complectitur Hugo Cardinalis, sic de divitiis philosopatus*: Divitiæ dicuntur spinæ. Quantò magis cordi inseruntur per amorem, tantò magis pungunt per dolorem. Pungunt quippe, cùm acquiruntur, per laborem; cùm habentur, pungunt per timorem: quia cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur. (*e*) *Atque ita in divitem hujus sæculi verti potest, quod olim in Babylonem torsit Isaias*: Erit Babylon in possessionem hericii. (*f*) *Sicut enim hericius undique & undique aculeis horret, pungit, & vulnerat: ita divitiæ suos possessores undequaque lancinant, tum verò maximè, cùm eos arctiùs constrinxeris, ut modò notabat Hugo Charensis. Hinc etiam S. Hieronymus, explicans illa eadem Isaiæ verba, sic scribit*: Iuxta doctrinam Salvatoris nostri, qui curas istius sæculi & seductionem

(d) *Cyprian. ep. ad Donatum.* (e) *Hugo Card. in Ps. 31. sub fin.* (f) *Isai. 14.*

divitiarum, spinas appellavit: hericius mihi videtur, qui juxta Apostolum (1. Tim. 6.) gaudet in incerto divitiarum: & armatum se, non armaturâ Dei, sed spinis atque peccatis hujus mundi, esse confidit..... Quando viderimus aliquem divitiarum immersum luto, &, ut Septuaginta interpretati sunt, profundâ voragine, & quasi cœnosâ palude circumdari; non dubitemus eum appellare hericium, habitatorem desertæ Babylonis. (g) Babylon autem confusio interpretatur. Ergo Babylon hic mundus. (h) *Unde & Chrysostomus divitias* spineum amictum *nominans, quod undecumque hominem pungant, ut vestimentum undecumque tegit vestitum; sic hortatur*: Nudi simus pecuniis, ne nudi reddamur, destituamurque justitia. Pecuniarum indumentum, justitiæ vestem lędit ac perdit. Est enim spinarum amictus. Tales videlicet sunt spinæ. Et quantò plures nobis circumdederimus, tantò erimus nudiores.... Divitiæ tinea sunt. Quemadmodum tinea cuncta

(g) *Hieron. l. 6. in Isai. c. 14.* (h) *Idem in Ps. 136. ad vers. 1.*

permolit, ita & divitiæ. Ista itaque abjiciamus omnia, ut justi reddamur, novumque induamus hominem. (*i*) Incredibiliter divitiarum amor, & terrenarum immoderata cogitatio facultatum, mentem spargunt, dissipant unitatem, pacis bonum perdunt, & amatores suos innumerabilibus delictis immergunt. (*k*) Qui eis innititur per amorem, cum ipsis defluit in mœrorem; qui enim eas invenit, requiem perdit: &, cùm vigilat, augmentum cogitat; cùm dormit, fures somniat: in die est afflictus, & in nocte pavidus, semper autem mendicus. (*l*) Quid ergo quæris, unde plus crucieris? Affligunt divitiæ nondum habitæ, etiam habitæ, & amissæ. (*m*) Non ita pecuniis, quemadmodum curis, ditesces. Non ita possessionibus bonorum abundabis, quomodo molestiis & periculis, tentationes & pericula introducentibus. (*n*) Hæc igitur consideran-

(i) *Chrysost. in ep. Ephes. hom.* 13. (k) *Laur. Iustinian. de Triumph. Christi agone c.* 14. (l) *Idiota l.* 1. *contempl. de amore divino cap.* 33. (m) *Bonavent. Profect. religios. lib.* 1. *cap.* 34. (n) *Chrysost. in ep. Ephes. hom.* 13.

tes, avaritiam fugiamus; fugiamus, inquam: nunquam enim cessabo id prædicans. Cur enim aurum, homo, accumulas? Cur servitutem hanc majorem durioremque tibi constituis? Cur difficiliorem tibi carcerem paras? Cur majoribus te curis quotidie angis? (*o*)

Quamvis fluente dives auri gurgite,
Non expleturas cogat avarus opes,
Ornetque baccis colla rubri littoris,
Ruraque centeno scindat opima bove:
Nec cura mordax deserit superstitem,
Defunctumque leves non comitantur opes. (*p*)

III. *Spinas inesse divitiis, quæ quietem omnem & somnum tollant, testatus est luculentè sutor ille ex paupere factus vix diei unius locuples, ex maximè hilari sanè quàm inquietissimus.* Cantabat is quotidie in officina lætus; cùm vicini certarunt,

(o) *Idem in Matth. hom.* 84. (p) *Boët. de Consol. l.* 3. *metro* 3.

os occludendum, si marsupium (quod posteà, multis testibus, & jure repetierunt) ante ejus ædes collocaretur. Id factum eo exitu, ut pauperculus sutor, invento marsupio, anxius & sollicitus ubi aurum abstruderet, immemor omnis cantus, & expers gaudii esset; dum vesperi ad judicem vocatus, marsupium reddidit, & simul ad consuetos cantus rediit. *Quo de argumento Comœdiæ suæ, inter editas, tertiæ, prologum sic orditur P. Martinus du Cygne :*

Pessima est pestis aurum mortalibus :
Ut venefica Circe, quæ mentem fascinat,
Nec dies noctesque sinit requiescere.

Notum & illud Anacreontis Philosophi. Is acceptis dono à Polycrate Sami tyranno aliquot aureorum millibus, præ sollicitudine tres dies ac noctes planè insomnis fuit. Quare isto incommodo territus, nummos Polycrati retulit, dicens ; Restituo tibi hos meos hostes, quia non sinunt me dormire. *Et Diogenes Laërtius, cuidam de nocte sacculum nummis repletum è lectuli*

culi capite subtrahere conanti dixisse fertur: Tolle infelix, ut facias utrosque dormire; *significans pecuniam, tam possessoris, quàm raptoris quietem non parum interrumpere, dum illi, ut eam custodiat; isti, ut eam suffuretur, non semel invigilandum sit.* Sigismundo Cæsari allata erant ex Hungaria aureorum quadraginta millia. Cùm autem advesperâsset, eaque in thalamo regio recondita fuissent, in cubiculum veniens Cæsar, dum cogitat in quemnam usum eam pecuniam convertat, somnus eum destituit. Tum ille excitatis cubiculariis: Ite (inquit) ocyus, consiliarios ducesque omnes militum huc accersite. Vocati proceres mediâ nocte trepidi (timebant enim ne quid adversi accidisset) Imperatorem celeriter adeunt; &, quæ causa sit tam repentinæ vocationis, inquirunt. Imperator confestim apertâ arcâ, inter eos qui advenerant, pecuniâ distributâ: Ite, inquit, securè tranquilleque nobis dormire liceat. Nam quod mihi somnum ademerat, jam procul aberit à cubiculo.(a)

K

(a) *Æn. Sylvius l.4. Comm. in res gestas Alphonsi, relat. à Conrado Lycosthene purgato, & Laurent. Beyerlinck Apophth. de divitiis.*

Spinosas opes pariter sciebat, atque adeò velut libertatis & quietis hostes, procul à se abesse jubebat Maximilianus itidem Cæsar, nunquam penes se opum acervum, etiamsi non raro deferretur, remanere passus. Aiebat enim: Se regendis hominibus præpositum, non auri sibi custodiam demandatam: quo siquis semel capiatur, mox è rege servum futurum. (*b*) *Verissimè Augustinus:* Elige quod volueris: esto avarus, luxuriosus: ut duo ista sola non dicamus, adde tertium, ambitiosus. In honorum cupiditate quantæ spinæ? In luxuria libidinum quantæ spinæ? In ardore avaritiæ quantæ spinæ? Amores turpes quantas molestias creant? Quantas sollicitudines hîc in ista vita? Omitto gehennam. Vide ne jam ipse tibi gehenna sis. (*c*) *Et gehenna sibi revera est avarus; de quo sic pronuntiat sapientissimus Pontifex Innocentius III.* Avarus damnationem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ. (*d*) *Et iterum Augustinus:* Omnis terrena possessio supplicium est cupiditatis, ut

(b) *Iac. Spiegel. in Comm. Æn. Sylv. apud eosdem.* (c) *August. in Ps.* 102. (d) *De contemptu mundi l. 2. c. 13.*

in ipsis bonis crucietur animus, cui viluit, qui tanta largitur, Deus. (e) Aversemur igitur mundum, & cuncta quæ in eo sunt; sollicitudinem quoque sæcularem, & affectionem carnalem: nullaque omninò nobis alia sit cura, nisi dumtaxat nostræ salutis. Quemadmodum & Dominus noster præcepit, dicens: Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? (Matth. 16.) (f) *Audiamus & timeamus monentem & minantem Dominum.* Hæc dicit Dominus: Novate vobis novale, & nolite serere super spinas (quæ suffocant sementem Dei; omnes suffodite vepres, sentesque auferte, ut munda semina, munda arva suscipiant. Quomodo enim potest Dei audire sermonem, & concipere semina, & fructum facere, cujus animus ærumnis mundi plenus est? *ait Hieronymus illa verba explicans*) Auferte præputia (*Symmachus*, malitias) cordium vestrorum:

K 2

(e) *August. hom.* 30. *ex* 50.
(f) *S. Ephrem serm. ascet. de vita Religiosa.*

ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat, propter malitiam cogitationum vestrarum. (*g*)

(*g*) *Ierem.* 4.



CONSIDERATIO XIII.

DIVITIARVM MALVS VSVS.

I. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. (*a*) *Non igitur per se malum argentum, malum aurum.* Nam si per se mala res esset, Dei esse non posset. (*b*) *Et*, si divitiæ per se malæ dicantur, blasphemia hæc in illarum largitorem redundat. (*c*) Paupertas & honestas (*id est, opulentia seu divitiæ*) à Deo sunt: (*d*) *ut iis utaris, & rectè utaris.* Non est ergo census in crimine, sed affectus. Cuncta enim quæ

(a) *Aggei* 2. (b) *August. de verb. Apost. serm.* 28. (c) *Theodoret. serm. 6. de providens.* (d) *Eccli.* 11.

Deus condidit, bona ſunt: ſed qui bonis malè utitur, profectò agit, ut quaſi per edacitatis ingluviem, eo, quo vivere debuit, pane moriatur. (*e*) Sicut non mala res vinum, ſed mala ebrietas: ita non mala res divitiæ, ſed mala avaritia, mala cupiditas. (*f*) *Vnde Bernardus*: Divitiæ dicuntur iniquæ, non propter ſe, ſed propter iniquitatis affectum, qui evenit ex ſe: ſicut arbor illa, quæ appellata eſt ſcientiæ boni & mali, non quòd illa habeat ſcientiam, ſed quòd tangentes eam contra præceptum, boni pariterque mali contingeret eſſe ſcientes. (*g*) *Quare & Propheta regius monet*: Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. (*h*) Non dixit, Nolite habere; ſed, Nolite cor apponere. Non damnat divitias, unde cœlum homo meretur; ſed ut cor non apponatur, ſcilicet illas recondendo, & non erogando. (*i*) *Et Apoſtolus ſcribens Timotheo*: Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime

K 3

(*e*) *Gregor. l.* 10. *moral. c.* 17. (*f*) *Chryſoſt. hom.* 2. *ad Pop.* (*g*) *Bern. ſerm. de villico iniquit.* (*h*) *Pſ.* 61. (*i*) *Laur. Iuſtinian. Ligno vitæ de paupert. c.* 4.

ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare. (*k*) Omnem ſubſtantiam mundialem divino poſſeſſoribus cunctis munere dari, nullus homo, ut reor, ambigit, qui modò in hominum numerum referri poteſt: niſi fortè quis tantæ ſit inſipientiæ, ut, cùm humano generi mundus ipſe à Deo datus ſit, ea quæ in mundo ſunt, non à Deo hominibus data arbitretur. Igitur ſi omnia omnibus Deus tribuit, nemini dubium eſt, quòd ea quæ Dei dono accepimus, ad Dei cultum referre debeamus, & in ejus opere conſumere, quæ ejuſdem ſumpſimus largitate. Hoc eſt enim agnoſcere munus Dei, & divinis beneficiis benè uti, ut datis ſuis illum honores, à quo data ipſa acceperis .... Commodatis à Deo facultatibus utimur, & quaſi precarii poſſeſſores. (*l*)Bonus ſis diſpenſator eorum, quæ à Deo tibi data

[k] 1. *Tim.* 6. [l] *Salvian. ad Eccleſ. Cathol. lib.* 1.

ſunt. (*m*) Videte, *clamat* Veritas Chriſtus, & cavete ab omni avaritia. (*n*) Non eſt leviter horrendum, Fratres mei, quando Dominus noſter, Redemptor noſter, Salvator noſter, qui mortuus eſt pro nobis, qui ſanguinem ſuum pretium dedit, ut redimeret nos, Advocatus & Judex noſter; non eſt leve, quando dicit, Cavete. Novit ille, quantum ſit, nos non novimus: illi credamus. Cavete, inquit. Quid? unde? Ab omni avaritia. Meum ſervo, non alienum tollo: Cavete ab omni avaritia. Non ſolùm avarus eſt, qui rapit aliena, ſed ille avarus qui cupidè ſervat ſua. Sed ſi ſic culpatur, qui cupidè conſervat ſua; quomodò judicaturus eſt te, cùm non ſolùm ſervas tua, ſed etiam quæris aliena? (*o*) Si qui ſua non impertitur, accuſatorem habet eum, cujus miſertus non eſt: quam veniam merebitur is, qui etiam aliena rapit? Non ſolùm enim aliena rapere, ſed etiam ſua non impertiri, rapina eſt, & avaritia, &

K 4

(m) *Chryſoſt. hom.* 33. *ad Pop.* (n) *Luc.* 12.
(o) *Auguſt. ſerm.* 196. *de Temp.*

ſpoliatio. Perhorreſcamus itaque rem hanc, fugiamus peccatum. (*p*) Mammona, *inquit S. Anaſtaſius Nicanus Epiſcopus*, non ſunt dicendæ, ſicut nonnulli exiſtimant, divitiæ, quæ parantur ex injuſtitia, ex quo dixit Dominus eſſe faciendos pauperes amicos: ſed eæ, quæ ex uſu noſtro ſunt repoſitæ divitiæ. Is enim cui ſuppeditant opes vel ad alendum vel ad conſervandum eum qui perit fame, aut fœnore, aut captivitate; & non fert opem: is revera juſtè condemnabitur tanquam injuſtus & occiſor. Non eas ergo divitias, quæ partæ ſunt ex iniquitate, ſed eas quæ ſupra uſum noſtrum ſunt repoſitæ, vocavit Dominus mammonam iniquitatis; ſicut etiam alibi increpans immiſericordes, dicit: Si ergo in iniquo mammona fideles non fuiſtis; quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? (*Luc.* 16.) Alienum dicit, copiam pecuniæ. *Hæc ille.* (*q*) *Et Baſilius Cæſareæ Epiſcopus*: Avaritiæ, *inquit*, genus id peſſimum eſt, nolle ne ea quidem quæ facilè corrumpuntur, inopi dare. Dixeris: Cui facio injuriam, ſi mea re-

(p) *Chryſoſt. to.* 5. *Orat. de avaritia.*
(q) *Anaſtaſ. in Evang. q.* 11. *Biblioth. PP. to.* 1.

tineo conservoque ? Quæ illa, dic mihi, tua ? Unde accepta hæc ad traducendam præsentem hanc vitam invexisti ? Perinde enim facis, ac si quis in theatro locum spectandi mox ut antevertit, aliis arripere, ceteros abarceat ingressu, suo unius usui id adjudicans, quod ad omnium communem usum proponitur. Tales & divites existunt. . . . Quis, quæso, est avarus ? Ille qui eo quod satis esse debet, non est contentus. Quis verò peculator ? Ille qui ad se unum transfert quæ singulorum sunt. Tu ergo non avarus ? Non tu peculator, cùm ea quæ ad dispensandum distribuendumque receperis, tibi propria facis ? (r) Non solùm enim spiritales opes & dona cœlestia à Deo donante capiuntur, sed etiam terrenæ & corporeæ facultates ex ipsius largitate proveniunt, ut meritò rationem earum quæsiturus sit, quæ non magis possidenda tradidit, quàm dispensanda commisit. Muneribus igitur Dei justè & sapienter utendum est, ne

K 5

(r) *Basil. hom. in Evang. Lucæ, quæ est 6. in ditescentes.*

materia boni operis fiat causa peccati. (s) Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. (t) *In quem locum Beda:* Villici sanè vocabulo discimus, eos, qui pecunias habent, non jam dominos suæ, sed alienæ potiùs rei dispensatores esse putandos. *Et Theophilactus:* Dominus hoc loco vult nos docere, ut benè dispensentur creditæ nobis divitiæ. Et primùm hoc discimus, quòd non sumus domini divitiarum. Nihil enim habemus proprium, sed dispensatores alienarum rerum sumus, quæ à Domino nobis concreditæ sunt, ut illas benè dispensemus, sicut ipse imperat. At si concreditas divitias non expenderimus juxta mentem Domini, & abusi fuerimus illis in nostrum luxum, accusabimur. Etenim voluntas Domini est, datis uti in usus conservorum, non in proprias delitias.

II. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum: & nudus atque esuriens ante fores nostras Christus in paupere moritur. (a)

(s) *Leo de Collectis serm.* 5. (t) *Luc.* 16.
(a) *Hieron. ep. ad Gaudentium.*

Parietes vestitis auro, hominem nudatis. Clamat ante domum tuam nudus, & negligis; & tu sollicitus es, quibus marmoribus pavimenta vestias. Pecuniam pauper quærit, & non habet: panem postulat homo, & equus tuus aurum sub dentibus mandit. Sed delectant te ornamenta pretiosa, cùm alii frumenta non habeant. Quantum, ô dives, sumis tibi judicium! Populus esurit, & tu horrea claudis: populus deplorat, & tu gemmam tuam versas. Infelix, cujus in potestate est, tantorum animas à morte defendere, & non est voluntas. Totius vitam populi poterat annuli tui gemma servare. (*b*) Quid, miser, Judici respondebis? Parietes vestis, homines non vestis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris? Frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? Aurum in terram condis, & oppressum non curas? ... Si sumptus non necessarios pensitamus, quot argentei tori, mensæ item argenteæ, lecti eburnei, sellæ eburneæ, ita ut nequeant ullo modo ad pauperes penetrare divitiæ; & quamquam ad

(b) *Ambr. de Nabuthe c. 13.*

tuas veniunt fores, miseram, rogando, vocem emittentes, tu tamen negas, affirmans, rogantibus cunctis non posse sufficere. Et cùm linguâ dejeres, manu perjurus argueris. Licet enim illa taceat, mendacium tamen tuum deprædicat, annulo, quem in digito habes, conspicua & illustris. Annulus, inquam, tuus quantum æris alieni posset exsolvere? quot domus ob inopiam ruentes conservare? Una tantùm tuarum vestium arcula totum populum frigore rigentem amicire posset. Verùm sustines, inexoratus, abs te pauperem rejicere; nec metuis Judicis minas, ac ea quæ se ille pollicitus est hujusmodi hominibus redditurum. Non te miseret? Misericordiam non invenies. Non aperuisti domum tuam? A regno Dei excludêris. Non dedisti panem? Non vitam recipies æternam. Sed & pauperem teipsum dicis. Et ego tecum sentio. Pauper profectò est, qui multis indiget. Pauperes, inquam, insatiabilis concupiscentia reddit.... Tu te sponte insatiabilem animo reddens, multis profectò damnum facis. (c)

(c) *Basil. hom. 7. in divites avaros.*

Imitare, ô homo, vel terram: ut illa, fructus proferto, ut ne illâ conspiciaris esse deterior, quæ inanimis est. Sanè illa non in suum usum aut commodum, sed in tuum ministrare contendit. Tu autem quem debueras ostendere beneficentiæ fructum, illum tibi ipsi congregas: (*d*) *imò in vana, in nociva, in fœda effundis. Audi lamentantem aureum Ecclesiasten*: Edat, inquit *avarus dives*, tinea, & non pauper. Devoret vermis, & non induatur nudus. Omnia temporis diuturnitate consumantur, & non nutriatur Christus, & maximè cùm esurit. Et quis hoc, inquit, mandavit? Etenim hoc est gravissimum, quòd non verbis, sed rebus hæc dicuntur. Etenim minus esset grave in verbis dictum, quàm factum in operibus. An non hæc singulis diebus clamat inhumana, & crudelis, & impia avaritia, iis quos in captivitatem trahit... Etenim erubesco, cùm video multos divites auro opertis equis vectari, & servos auratis vestibus indutos ducere, argenteos lectos habere, & alia

(d) *Idem hom. 6. in ditescentes.*

plura vanitatis plena. At cùm in pauperes erogare oporteat, pauperrimis pauperiores factos videmus. (*e*) Quid ergo dementius divitibus? .... Etenim scutellas habere argenteas, neque istuc quidem animo philosophico convenit, sed totum delitiarum est: vasa verò immunda etiam ex argento facere, an delitiarum est? At non dixerim hoc esse delitiarum, sed stultitiæ; imò ne hoc quidem, sed insaniæ, quin insaniâ quoque pejus. .... Alius frigore perit, qui ad imaginem Dei factus est: tu verò talia struis? O fastum! .... Quid proderit hîc Christus? quid fides? (*f*) *Attende, quisquis ita insanis, & miserare tandem, fratrum tuorum, fratrum Christi justas querelas, Bernardi ore ad te directas*: Clamant verò nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Dicite, in fræno quid facit aurum? Numquid aurum à fræno repellit frigus & esuriem? Nobis frigore & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effun-

(*e*) *Chrysost. in* 1. *Cor. hom.* 21. (*f*) *Idem in ep. Coloss. hom.* 7.

ditur; nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter expenditis. Et nos enim Dei plaſmatio; & nos ſanguine Chriſti redempti ſumus. Nos ergo fratres veſtri. Videte, quale ſit de fraterna portione paſcere oculos veſtros. Vita noſtra cedit vobis in ſuperfluas copias. Noſtris neceſſitatibus detrahitur, quidquid accedit vanitatibus veſtris. Duo denique mala de una prodeunt radice cupiditatis; dum & vos vanitando peritis, & nos ſpoliando perimitis. Jumenta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra non curatis crura nuda caligulis. Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clavatæ quædam corrigiæ, multaque talia tam ſpecioſa coloribus, quàm ponderibus pretioſa, mulorum dependent cervicibus: fratrum autem lateribus nec ſemicinctia miſerantes opponitis... Et hæc pauperes modò quidem coram Deo tantùm, cui corda loquuntur.... Cæterùm in futuro ſtabunt in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt. (*g*) Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum. (*h*)

(*g*) *Bern. epiſt.* 42. *ad Henr. Archiep. Senon.*
(*h*) *Pſ.* 139.

III. Intraverat Zeno, vir ſanctus, Crœſi cujuſdam palatium; dumque in cœnationibus & conclavibus, quæ tantum Patritium accipiebant, aulæa ductili auro texta, ſcrinia gemmis diſtincta, abacos ſub argento gementes, parietes picturâ illuſos, pavimenta ſtrata tapetibus, alii mirarentur, attonitus exclamavit: Proh! quot ego animarum funera, in heteromallo atque auro tumulata conſpicio? quæ vos immotis oculis intuemini. Tam vani luſûs pretio, innumerabiles apud Barbaros miſerrimam ſervitutem ſervientium turmæ redimi poterant; & à longæ mortis ſupplicio liberari, quotquot inediâ confecti ſua corvis cadavera ſub dio reliquerunt. Manifeſtum id protinus fieret, ſi apparatûs, à cruce Chriſti tam alieni, divenditi pretium erogaretur in eos, quorum pudicitiæ paupertas inſidiatur, vel quos victûs veſtitûſque inopia ad deſperationem adigit. O quantarum neces animarum in phaleris pendent! cujus ornamentum ſi ſolvas in pretium, diſtribuasque neceſſitatibus ſingulorum, ex eorum reſpiratione cognoſces, quanto-

rum malo ille conſtet ornatus. (*a*) *Iſta ſancti viri juſta querimonia ad eos omnes ſpectat, qui divitiis non rectè utuntur. Ad eoſdem ſpectant ea, quæ ſancto Zenoni Epiſcopo Veronenſi adſcribuntur, in quodam ſermone:* (*b*) Sed recordare, ô homo, quis eſt qui largitus eſt tibi teipſum. Quis ſis, in memoriam revoca. Servus es Dei: & diſpenſatio tibi commiſſa eſt domeſticæ (*aliter*, dominicæ) facultatis. Recordare ergo, quis eſt, qui tibi injunxit officium diſpenſandi ſuper familiam ſuam. Non eſt utique ſine cauſa, quòd tibi à bono & juſto Deo officium tribuitur largiendi, aliis neceſſitas imponitur indigendi. Diſpenſatorem te igitur conſervorum tuorum ex domeſticis (*aliter*, dominicis) facultatibus te eſſe cognoſce. Nec æſtimes, quòd omnia ventri, & delitiis tuis terra producat. Quæ in manibus habes, commiſſa tibi magis, quàm conceſſa cognoſce.... Hîc mihi te pauliſper indulge, quiſquis es, qui divitiarum diſpenſationem in hoc mundo ſortitus es: & te in illo terribili

(a) *R. P. Oliva allocut. ad ſuos part.* 1. *exhort.* 3. *n.* 32. (b) *de Evang. Lucæ, de duplici tentat. ſpecie.*

Dei judicio, tribunali adstantem, paululùm quid vacans (si tamen vacare potes à divitiarum sollicitudinibus) intuere. Cùm interrogari cœperis, commissas tibi opes cum quibus egentibus divisisti? quibus necessitatem patientibus subvenisti? quos de carceribus, de vinculis, de gladio, profusâ pecuniâ liberasti? quibus pupillis pater, cui viduæ vir, castis provisionibus extitisti? Pecunia mea, fructus mei, quid apud te operis, quid utilitatis habuerunt? Tu ad hæc sine dubio respondebis: Omnia simul reposita ac recondita claustris validissimis, & signaculis tutissimis communivi, nulli cuiquam tribui, &c. *Hactenus Zeno; quibus conformia egregiè pronuntiavit, aureum eloquentiæ christianæ flumen, Ioannes Chrysostomus:* (c) Rapina est, non impertiri de tuis facultatibus. Ac fortassis vobis mirum videtur esse quod dico; verùm ne miremini: testimonium enim vobis è divinis Scripturis proferam, dicens quòd non solùm rapere aliena, verùm etiam non impertire cæteris, & rapina sit, & fraudatio,


(c) *Concione 2. de Lazaro.*

& spoliatio. Itaque Dominus Judæos accusans per Prophetam dicit: Produxit terra proventum suum, & non intulistis decimas, sed rapina pauperis est in domibus vestris. (Isai. 3.) Quoniam, inquit, oblationes solidas non dedistis, rapuistis ea quæ sunt pauperis. Hoc autem dicit, declarans divitibus, quòd res pauperum possident, etiamsi paternâ hæreditate obvenerint, etiamsi undecumque aliunde collegerint pecunias. Ac rursus alibi dicit: Ne spolies vitam pauperis. Qui verò spoliat, aliena tollit. Nam spoliatio quædam dicitur, cùm aliena accepta detinemus .... Heriles pecuniæ sunt, undecumque eas collegerimus; & ideò tibi plura possidere concessit Deus, non ut in scortationes, temulentiam, ingluviem, in vestes sumptuosas, aliamque mollitiem consumeres, sed ut ea distribueres egentibus. Quemadmodum enim receptor quispiam, qui regias pecunias accepit, si neglexerit, his quibus jussus est, distribuere, inque proprias consumpserit delitias, pœnas dat ac perditur: ita sanè & dives, receptor est quispiam

pecuniarum, quæ pauperibus distribui debebant. *Hæc & alia præclarè Chrysostomus; qui & asserit ideò divitem epulonem (Luc. 16.) sepultum esse in inferno, quòd epularetur & vestiretur splendidè, in usus superfluos convertens opes, nihil in usum & levamen mendici Lazari:* quamquam hic (*ait sanctus Doctor*) nihil à divite accepit injuriæ; neque enim illius pecunias usurparat dives, sed suas non impertivit. Quòd si is qui sua non impertiit, accusatorem habet eum, cui negavit misericordiam; qui aliena quoque rapuerit, quam veniam consequetur, undique ipsum circumstantibus, quos affecit injuriâ? *Porrò historiam illam de epulone divite & Lazaro paupere, (veram autem historiam esse, non meram parabolam, censent Chrysostomus in Lucam homiliâ de divite, S. Augustinus, & alii apud nostrum Cornelium à Lapide, parabolam tamen dici, quòd in hac historiâ quadam parabolica & symbolica ex hominum usu inseruntur) historiam, inquam, illam continenter omnibus ob oculos propositam vult idem Chrysostomus his verbis:* Hanc parabolam inscribite, divites pariter ac pauperes: divites quidem in

parietibus domus vestræ; pauperes autem in parietibus animi vestri: &, si quando deleta fuerit obortâ oblivione, illinite denuò, ab initio reminiscentes. Imò verò etiam divites, priùs in mente quàm in ædibus hanc describite, semperque circumferte: & erit vobis documentum, materiaque totius philosophiæ (*altissima Christianorum Sapientia.*) Nam, si hanc jugiter inscriptam animo teneamus, neque hujus vitæ læta poterunt nos inflare, neque tristia dejicere prosternereque; sed non aliter, quàm afficimur picturis in pariete additis, erga hæc utraque afficiemur. (*d*)

(d) *Chrysost conc.* 4. *de Lazaro.*



CONSIDERATIO XIV.

RECTUS DIVITIARUM USUS.

I. BEatus dives, qui inventus est sine macula: & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia &

thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. (*a*) Quia mundi pompam vicit: maligni astutiam cavit: appetitûs proprii concupiscentiam superavit. (*b*) Non respexit in vanitates, & insanias falsas; (*c*) ipsa bona temporalia, quæ homines insanire faciunt, dum eos à lege Dei deviant. (*d*) Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi; (*e*) custode illo, qui condidit sæcula. (*f*) Ideò stabilita sunt bona illius in Domino: & eleëmosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum. (*g*) Non crimini dandum est, si quis pecunias habeat: sed, si non distribuerit pauperibus, neque iis rectè utetur, id peccatum est. Nihil enim Deus, quod malum esset, effecit, sed omnia valdè bona: itaque & opes bonæ; verùm si suos non vicerint possessores; si proximos paupertate liberaverint. Non enim lux illa bona est, quæ non fugat tenebras, sed densat. Neque eas

(a) *Eccli.* 31. (b) *Hugo Cardin. ibi.* (c) *Ps.* 39. (d) *S. Bruno ibi.* (e) *Ps.* 111. (f) *August. ibi.* (g) *Eccli.* 31.

ego divitias appellarem, quæ paupertatem non pellerent, sed augerent. Siquidem dives non quærit ab aliis accipere, sed aliis auxilium præstare: qui autem ab aliis accipere quærit, non ampliùs is dives est, sed pauper. (*h*) Illam igitur artem discant divites, ut divitiis rectè, & , ut decet, utantur. Non est enim certè ars illa contemnenda, qua discunt opulenti, conferendum indigentibus esse. Præcipua enim est, & aliis artibus multò præstantior. Hujus artis officina in cœlo est... hujus magister, Christus est, & Pater ejus. Estote misericordes, inquit, sicut & Pater vester misericors est. Luc. 6. (*i*) Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. (*k*) *Rursus*: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur. (*l*) Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. (*m*) Lo-

(h) *Chrysost. in* 1. *Cor. hom.* 13. (i) *Idem in Matth. hom.* 50. (k) *Luc.* 16. (l) *Matth.* 6.

cupletem te dicis, & divitem; & utendum putas iis, quæ possidere te Deus voluit. Utere, sed ad res salutares; utere, sed ad illa, quæ Deus præcepit, quæ Dominus ostendit. Divitem te sentiant pauperes, locupletem sentiant indigentes. Patrimonium tuum Deo fœnera; Christum ciba. Commenda illic thesauros tuos, ubi fur nullus effodiat, quò nullus insidians grassator erumpat. Possessiones tibi, sed magis cœlestes, compara. *Hæc & alia eleganter S. Cyprianus.* (n) *Monet Apostolus Timotheum suum priore epistola:* Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime (*seu*, superbè) sapere. (o) *Quem locum egregiè more suo explicans S. Augustinus, sic habet:* Exclusit vitium, Non superbè sapere. Doceat usum de eo quod sequitur, Neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundanter temporalia & æterna: temporalia tanquam viatoribus, æterna tanquam habitatoribus: temporalia, unde bona faciamus; æterna, unde boni efficiamur.

(m) *Luc.* 12. (n) *Cypr. de habitu virginum.*
(o) 1. *Tim.* 6.

mur. Ergo hoc faciant divites .... Ex eo autem quod habent, quid faciant? Facilè tribuant : habent enim unde. Communicent, id eſt, pares ſuos mortales agnoſcant. Communicent, theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum. Non, quia dico, inquit, Facilè tribuant, communicent, expoliare illos volo, nudare illos volo, inanes relinquere volo. Doceo lucrum, cùm oſtendo quòd theſaurizent ſibi. Non enim volo, ut pauperes remaneant. Theſaurizent ſibi; non, ut perdant, dico : ſed quò migrent, oſtendo. Theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Hæc ergo falſa vita eſt : apprehendant veram vitam. Vanitas enim vanitatum, & omnia vanitas. (Eccle. 1.) Quæ abundantia tanta hominis in labore ſuo, quo ipſe laborat ſub ſole? Apprehendenda eſt ergo vera vita : migrandæ ſunt facultates noſtræ ad locum veræ vitæ, ut hoc ibi inveniamus, quod hic damus. Mutat illa, qui mutat & nos. Date ergo pauperibus, Fratres mei. (*p*)

L

(p) *Auguſt. de verb. Dom. ſerm.* 5.

II Qui divitias benè & honeſtè adminiſtrant, nec aliorum detrimentis vel ærumnis has augent, & opulentiæ ſuæ conſortes adhibent egenos, ii in illorum accuſationem juſtam ſufficiunt, qui divitiis malè utuntur, & avaritiæ ſtudent. (*a*) Nec enim divitias in hunc finem ſummus ille rerum adminiſtrator conceſſit hominibus, ut intemperantiâ has dilapident, & malitiæ irritamentum faciant: ſed, ut has ritè diſpenſando, & ipſi rebus fruantur neceſſariis, & egenis ex illarum abundantia largientes, eas temperantiæ & juſtitiæ materiam reddant. (*b*) Ergo nihil in hunc mundum inferentibus, ſubſtantiam rerum temporalium quaſi tonſile vellus apponit, non ut ſarcina impediat, quos expeditos naſci jubet, ſed ut materiam nobis virtutis ad merita parienda proponat; & ſit, unde documentum noſtræ in Deum (id eſt, verum Patrem ac Dominum) fidei atque pietatis edamus, ſi ſuppetant cara & dulcia, quæ, præferentes Deum, ma-

(a) *Theodoret. ſerm. 6. de Provident.*
(b) *Idem ſerm. 9. de Provid.*

gno præmio negligamus; & quæ per immenſam ejus bonitatem, cùm nec illata nobiſcum ſint in hunc mundum, neque iſtinc auferenda nobiſcum, tamen, ſi pareamus præceptis illius, ita ordinantur, ut mutentur in melius, & de temporalibus æterna reddantur. Nam, quæ ſicut non intulimus, ita nec auferre poſſumus per naturam noſtram & prætereuntem hujus mundi figuram, ea per omnipotentis Dei opus, beato mercimonii genere vertentes, non modò nobiſcum efferimus, ſed ante nos etiam in ſinum Domini ſeminata præmittimus. (c) Hoc ergo ex dogmatibus optimum eſt perpetuò canendum; quòd vir quidem bonus, qui eſt moderatus & juſtus, in cœlo recondit theſaurum pecuniæ. Is qui terrena vendidit, & dedit pauperibus, invenit theſaurum, in quem non cadit interitus, ubi nec tinea eſt, nec latro. Is ergo eſt verè beatus, etiamſi ſit parvus, imbecillus, inglorius: iſque revera magnas poſſidet divitias. Quòd ſi ſit vel Midâ & Cinyrâ ditior, ſit autem

(c) *Paulin. epiſt. 5. ad Severum.*

injuſtus & inſolens, quemadmodum qui purpura & byſſo luxuriosè veſtiebatur, Lazarum autem contemnebat, & miſer eſt, & in mœrore vivit, nec vivet. Divitiæ ergo ſunt ſerpenti ſimiles; quem ſi quis neſcit inoffensè eminus accipere, beſtiam ſine periculo ſummâ caudâ apprehendens, ea manu circumplicabitur, & mordebit. Pulchrè callent, ſerpentum inſtar, repentes divitiæ, dum à perito vel imperito apprehenduntur, inhærere & mordere. Sed ſiquis ſe magnificum præbens, rectè & ſcienter eis utitur, cùm Verbi quidem carmine beſtiam detraxerit, ipſe verò illæſus manſerit. (*d*) Procedit aliquando homo habens plenam domum, uberes terras, multa prædia, multum auri & argenti; novit quia in ipſis non eſt præſumendum, humiliat ſe Deo, facit inde benè; ita cor ipſius erigitur ad Deum, ut noverit, quia non ſolùm nihil illi proſunt divitiæ ipſæ, ſed impediunt pedes ipſius, niſi ille regat, & ille ſubveniat; & numeratur inter pauperes qui ſaturan-

(d) *Clement Alexand. Pædagog. l. 3. c. 6.*

tur.... Non attendit Dominus facultatem, sed cupiditatem. (*e*) Est ergo & his materialibus divitiis locus. Quasi gubernatores estis in magno mari. Si benè quis gubernat suum navigium, citò transit fretum, ut perveniat ad portum. Qui autem nescit regere suum censum, onere suo mergitur. Ideò scriptum est: Possessio divitum, civitas firmissima (*Vulgata habet*, Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus.) Proverb. 10. Quæ est ista, nisi Jerusalem quæ in cœlo est, in qua regnum Dei? Bona hæc possessio, quæ fructus perpetuos facit. Bona possessio, quæ non hîc relinquitur, sed illic possidetur. In hac possessione qui fuerit, dicit: Portio mea Dominus. (Ps. 118.) Non dicit, Portio mea ad illos provecta & diffusa terminos. Non dicit, Portio mea inter illos vicinos, nisi fortè inter Apostolos, inter Prophetas, inter Sanctos Dei. Hæc est enim justi portio. Non dicit, Portio mea in pratis, non in sylvis, non in campis, nisi fortè in campis sylvæ, de qua scriptum est, invenimus eam in campis syl-

(*e*) *August. in Ps.* 131.

væ. (Pſ. 131.) Non dicit, Portio mea greges equorum. Mendax (*Vulgata*, Fallax)enim equus ad ſalutem.(Pſ.32.) Non dicit, Portio mea armenta boum, aſini, oves, niſi fortè inter illa enumerat armenta, quæ agnoſcunt poſſeſſorem ſuum, & in illa aſina vult conſortium habere, quæ non refugit præſepe Chriſti. Et illa ovis ſibi portio eſt, quæ ad immolandum ducta eſt, & ille agnus coram tondente ſe ſine voce, qui non aperuit os ſuum, cujus in humilitate judicium exaltatum eſt. (Iſai. 53.)…. Non quicumque ergo dicit, Portio mea Dominus. Non avarus dicit; quia venit avaritia, & dicit: Mea portio es, ego te ſubditum habui, mihi ſerviſti, mihi te in illo auro vendidiſti, mihi te in illa poſſeſſione adjudicaſti. (*f*) *Quæ tua portio, mi Chriſtiane?* Propoſuit tibi Dominus in portione poſſeſſiones, in portione aurum, in portione argentum, in portione honores, in portione nobilitatem. Propoſuit etiam in portione ſeipſum. Habes igitur plurimas portiones: elige, quam petas. (*g*)

(f) *Ambroſ. ep.* 82. (g) *Idem in Pſalm.* 118. *ſerm.* 8. *n.* 1.

Felicem te ! si cum Davide eligas, & dicas animo & factis : Portio mea Domine, dixi custodire justificationes tuas. Tuus sum ego : quoniam justificationes tuas exquisivi. (*h*) Serva portionem, quam elegisti. Ea est enim portio, quam terrenæ partes æquare non possunt. (*i*)

III. Deus suscipit pauperes, sed divites non repellit. Habentes suscipit, & ad se attrahit non habentes. Abraham dives : dives Job : David dives. Et quid Abraham beatius ? Quid fortius Job ? Quid David sanctius? Nam & Abraham, post terrenos mœrores, pias animas & revolantes in cœlum, in gremium suæ consolationis includit. Et Job in ipsis divitiarum machinis diabolum & ipse vicit, & nobis vincendi eum reliquit exemplum. Abraham sic possedit divitias, ut eas sæpè & oblatas contemneret, & calcaret indultas : & sic diligeret possidere divitias, non à divitiis possideri: habere eas ad largitatis materiam, non ad cupiditatis incendium.... Fuerunt Sanctis innocentes divitiæ, utpote à

(h) Ps. 118. (i) *Ambr. ibid.*

Deo datæ, non turpiter acquisitæ: concessæ ad usum vitæ, non ad mortis usuram. (*a*) Dives est, non qui multa possidet, sed qui multa expendit. Dives erat Abraham, sed non avarus: non enim hujus domum considerabat, nec illius substantiam curiosè scrutabatur: sed egrediens contemplabatur, num alicubi hospes, num alicubi pauper, ut paupertatem resarciret, ut peregrinum exciperet: non auro tectum linivit, sed apud quercum illam tabernaculum figens, foliorum umbrâ contentabatur. Et tam splendidum ipsi erat diversorium, ut nec Angelos apud ipsum manere puderet: non enim quærebant domûs splendorem, sed animi virtutem. (*b*) Job erat quidem dives, non tamen pecuniæ serviebat, sed habebat divitias, eisque, ut congruit, imperabat: nec erat famulus earum profectò, sed dominus. Sicut enim alieni patrimonii dispensator, ita illa omnia possidebat, non modò aliena non rapiens, sed propria quoque indigentibus lar-

(a) *Chrysolog. serm.* 28.
(b) *Chrysost. hom.* 2. *ad Pop.*

giens, quodque his majus est, nec habere se illa gaudebat; quod hinc intelligitur: Si lætatus sum, inquit cap. 31. quia mihi essent multæ divitiæ. Unde etiam consequenter quia gaudium de possessione non habuit, dolorem de amissione non pertulit. (c) *Iuvat audire Iobum ipsum, veræ (ut eum vocat S. Hieronymus) (d) hominem* Philosophiæ, *è sterquilinio, velut è cathedra, pleniùs exponentem, qua ratione opibus, cùm iis abundabat, uteretur:* Si ambulavi in vanitate; si negavi, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea: (quia ab infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum) si despexi prætereuntem, eò quòd non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem: si non benedixerunt mihi latera ejus, & de velleribus ovium mearum calefactus est..... Humerus meus à junctura sua cadat, & brachium meum cum

(c) *Chrysost. hom. 22, in Matth.*
(d) *In c. 31. Iob.*

ſuis oſſibus confringatur. Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea.... Foris non manſit peregrinus, oſtium meum viatori patuit. (*e*) Oculus fui cœco, & pes claudo. Pater eram pauperum. (*f*) En tibi divitias, ſine peccato: ſed cum amore ac ſtudio pauperes ſublevandi. Hoc eſt miniſterium & uſus divitiarum, quæ non nomine, ſed re, ſunt divitiæ. Hæ divitiæ ſervæ ſunt divitiarum illarum: nam iſtæ nomen ſunt re deſtitutum: illæ autem & nominis & rei veritatem obtinent. Quænam? Eæ quæ virtutum, eæ quæ ſunt eleëmoſynæ. Quo pacto? Ego dicam. Eſt dives, qui res omnium rapit; & eſt dives, qui ſua egentibus erogat: quorum ille, congerendo; hic, conſumendo eſt locuples: atque ille quidem in terra ſerit, hic cœlum colit. Quò cœlum terræ præſtat, eò illius ubertas hac infirmior eſt. (*g*) Avaritiæ tibi vitandum eſt malum (*monet Euſtochium virginem egregius morum magiſter Hieronymus*) non ut aliena non appe-

(e) *Iob* 31. (f) *Iob* 29. (g) *Chryſoſt. hom. in Pſ.* 48.

tas (hoc enim & publicæ leges puniunt) ſed quòd tua, quæ ſunt aliena, non ſerves. Aliena nobis auri argentique ſunt pondera : noſtra poſſeſſio ſpiritualis eſt. Nemo poteſt duobus dominis ſervire. Cogitatio victûs ſpinæ ſunt fidei : radix avaritiæ cura Gentilium. (*h*) *Et Auguſtinus , Probam viduam divitem inſtruens :* Divitiæ, *inquit*, ... quid adferunt conſolationis , cùm ſit, eis non indigere quàm eminere, præſtantius? quæ plus excruciant adeptæ timore amiſsionis , quàm concupitæ adeptionis ardore. Talibus bonis non fiunt homines boni , ſed aliunde boni facti , benè utendo faciunt ut iſta ſint bona. (*i*)

(h) *Hieron. Ep. ad Euſtoch.* Audi filia.
(i) *Aug. ad Probam Ep.* 121. *c.* 2.





CONSIDERATIO XV.

MORS DIVITIS.

I. O Mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! (*a*) *Si amara, & amara valdè, mortis memoria; quàm acerba, quàm luctuoſa præſentia!* Audivit *Ioannes* vocem de cœlo, dicentem ſibi: Scribe, Beati mortui (ſæculo, *ut interpretatur S. Ambroſius*) qui in Domino moriuntur. Opera enim illorum ſequuntur illos, *græcè*, cum illis, *ſive,* comitantur, (*b*) *ut adhuc Ambroſius:* quia merces operum illorum comitatur illos in perpetuum. (*c*) *At quid ſcribendum, quid dicendum de* divitibus hujus ſæculi, filiis avaritiæ, cultoribus mammonæ, ſervis pecuniæ; (*d*) *qui mortui Deo, in mammona moriuntur?* Laboraverunt in ventum; (*e*) confiſi

(a) *Eccli.* 41. (b) *Apoc.* 14. (c) *Ambr. ibi.* (d) *Petr. Bleſ. ep.* 93. (e) *Eccle.* 5.

ſunt in nihilo; telas araneæ texuerunt: opera eorum, opera inutilia. (*f*) *Nihil ſequitur illos; ſolum comitatur peccatum.* Peccata ex facultatibus contracta, ipſi ſolùm ſecùm ferentes, abeunt. (*g*) *Heu! quale viaticum in æternitatem!* Dives, cùm dormierit, nihil ſecum auferet. (*h*) Res ſuas, cùm moreretur, tolleret, ſi ad petentis vocem, cùm viveret, ſibi tuliſſet. Nam terrena omnia, quæ ſervando amittimus, largiendo ſervamus: patrimoniumque noſtrum retentum perditur, manet erogatum. (*i*) Cùm dormierit, aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet. (*k*) Quia illic aperit ad ſupplicia, quos hîc ad miſericordiam clauſos tenebat. Aperit oculos ſuos, & pietatis fructum non invenit, quos hîc clauſos tenuit cùm viveret .... Serò dives aperuit oculos, quando Lazarum requieſcentem vidit, quem jacentem ante januam videre contempſit. Intellexit ibi, quod hîc facere noluit: in damnatione ſuâ cognoſcere com-

(*f*) *Iſai.* 59. (*g*) *Chryſoſtom. in Geneſ. hom.* 31. (*h*) *Iob* 27. (*i*) *Gregor. l.* 18. *Mor. c.* 10. *veteri*, 12. *novo.* (*k*) *Iob.* 27.

pulsus est, quid fuit quod perdidit, quando indigentem proximum non agnovit. De quo adhuc subditur: Apprehendet eum quasi aqua inopia, & nocte opprimet eum tempestas. (Iob 27.) Videamus nunc inopiam ardentis divitis, cujus tanta abundantia fuit epulantis. Ait enim: Pater Abraham, miserere mei: & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. (Luc. 16.) Quibus verbis nobis non hoc innotescitur, quia illîc in tanto ardore, una tunc, ad sufficientiam refrigerii, aquæ gutta requiratur: sed quòd is qui de abundantia peccaverit, illic æstuanti nimis cremetur inopiâ. Uidemus enim in verbis divitis, ex subtilissimo Dei judicio, quàm digna tali culpæ pœna responderit. Agente namque inopiâ, illîc usque ad minima petenda compulsus est, qui hîc agente tenaciâ, usque ad minima neganda pervenit. Quid retribui subtilius, quid districtius potest? Guttam aquæ petiit, qui micas panis negavit. Apprehendit eum quasi aqua inopia,

Non immeritò aquæ tunc illa inopia comparatur: quia in inferno cruciat, qui ſuſceptos in profundis abſorbens, ſolet lacûs nomine appellari. Nocte opprimet eum tempeſtas. Quid hoc loco, noctem, niſi abſconditum tempus repentini exitus appellat? ... Hinc ſuperbienti diviti, Dei voce dicitur: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem paraſti, cujus erunt? (Luc. 12.) Nocte animam reddere perhibetur, qui noctem non providens, in tenebris cordis abſtrahitur. (*l*) *Vnde Pſaltes regius ſapienter monet*: Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo: & cùm multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam cùm interierit, non ſumet omnia. (*m*) In vacuum laboravit. Quid non vacuum, quod ſæculare atque mundanum: cùm rectè dixerit, qui mundum iſtum ſobria virtute contempſit, Nudus ſum natus, nudus & moriar? Numquid ſecum quis poteſt auferre quæ poſſidet? Hîc omnia derelinquit, ſolus intrat in tumulum. Unde dictum eſt: Numquid habitabi-

(l) *Gregor. ſup.* (m) *Pſ.* 48.

tis vos ſoli in medio terræ? (Iſai. 5.) Numquid deſcendit in illud ſepulchrum gloria domus ejus, aut copiæ? Vide vim Scripturæ. Gloria ſæculi non deſcendit cum peccatore; ſed gloria virtutis aſcendit cum innocente. Et ut copioſiùs dicamus, gloria hominis cum aſcendente aſcendet, cum deſcendente non deſcendet. Quod gratiæ eſt ac virtutis, aſcendet. In Paradiſum aſcenditur, in infernum deſcenditur. Deſcendant, inquit, in infernum viventes. (Pſ. 54.) Ideoque Lazarus pauper per Angelos in Abrahæ ſinum eſt elevatus. Dives luxurioſus, elevans in inferno oculos ſuos, rogat Abraham ut mittat pauperem, ut digito ſuo contingat linguam ejus, quo requiem aliquam, in ardore maximo conſtitutus, poſſet adipiſci. Vide illum pauperem bonis omnibus abundantem, quem ſancti Patriarchæ requies circumdabat. Vide hunc vacuum, qui ſibi in hoc ſæculo abundare videbatur: cujus anima in vita ipſius benedicebatur: ſed nunc iners morte cruciatur... Uſque in æternum non videbit lumen: (*eodem Pſal-*

mo 48.) quoniam temporale quæsivit. (*n*) Quia & hîc cùm esset in tenebris, erat gaudens falsis bonis, & non amans bona vera, & ideò hinc ad tartarum ibit. A tenebris somniorum, excipient illum tenebræ tormentorum. (*o*) Unde benè ait idem Propheta de divitibus: Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.(Ps.75.) Hoc est dicere: Nihil invenerunt in operibus suis divites, qui nihil pauperibus contulerunt. Nullius juverunt inopiam, nihil ad utilitatem suam proficientes reperire potuerunt. Ipsum nomen considera. Ditem dicunt Gentiles inferni præsulem, arbitrum mortis ditem appellant & divitem. Quid nisi mortem inferre noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferna sint? (*p*) Vigila ergo, dives, in opere bono, in malo dormi: ut non sit manus tua pauperi vacua: ut tibi plena sit semper. (*q*) Dispone domui tuæ, quia morieris tu. (*r*) Si scires, qua

[n] *Ambr. in Ps.* 48. [o] *Aug. ibid.* [p] *Amb. de Nabuthe c.* 6. [q] *Chrysolog. serm.* 104. [r] *Isai.* 38.

hora fur venturus esset, vigilares utique, & non sineres perfodi domum tuam. (*s*) *An vilior tibi est anima tua, quàm pecunia tua?* Esto vigilans (*clamat Deus tuus, Iudex tuus, ne obtura aurem cordis*, ne obdormias in morte, ne quando dicat inimicus tuus, Prævalui adversus eum.) (*t*) Si non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & nescies qua hora veniam ad te: (*u*) *vocabo te, & dicam tibi*: Redde rationem villicationis tuæ. (*z*) Non exies, donec reddas novissimum quadrantem. (*y*)

II. Ubi nunc sunt divites, & superbi in divitiis suis? Ubi sunt, qui suas enumerant dignitates, & vestes pretiosas, quibus se comparant? Lutum namque & cœnum omnia intuebuntur. (*a*) Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur. (*b*) Intelligamus pecunias, & terram esse & pulverem, quæ nos, cùm hinc migraverimus, relinquent. Imò & ante migrationem nostram nonnun-

(s) *Matth.* 24. (t) *Ps.* 12. (u) *Apoc.* 3. (z) *Luc.* 16. (y) *Matth.* 5.
(a) *Chrysost in* 1. *Cor. hom.* 13. (b) *Eccli.* 40.

quam nos deserunt ; & in futurum & præsens sæculum, nobis magnum adferunt detrimentum. (c) Quam utilitatem homini opulento, mortem tandem oppetenti, suæ adferunt divitiæ? cùm eas nec secum auferre possit, nec quidquam aliud ex earum usu lucri facit.... Neque enim si aliqui aurum ingens in vita congesserint, proprium ipsorum perpetuò permanet; sed aut à vivis adhuc, quantumvis ipsum omni ex parte coarctent, ad potentiores delapsum aufugit: aut jam jam animam agentes deserit, nec vult simul cum eis, qui illud possederant, peregrè proficisci. Unde plerumque illi, dum ab eo, qui violenter animas à misera hac carne separat, ad fatale hoc iter trahuntur, frequentes se ad pecuniam convertunt, ac labores, propter hanc ipsam in juvenili ætate exantlatos, deflent: at illa jam tum etiam aliorum spectat manus, nihil ipsis præter afflictam memoriam insatiabilis avaritiæ, ac laborum, quos in corradendo consumpserant, reliqui faciens. (d) Simul insipiens & stultus

(c) *Chrysost. in 1. Cor. hom. 23.* (d) *Basil. orat. de morte, inter opera S. Ephræm.*

peribunt ; & relinquent alienis divitias suas ; & sepulchra eorum domus illorum in æternum. (*e*) Quid sive tam stultum, sive tam perditum, quàm ut aliquis de suo sibi non consulat?.. Quàm misera erit perdita sors eorum, qui quasi sepulchris perennibus deputati, quam conditionem post mortem perferunt corporum, eandem quodammodo patiantur animarum ! (*f*) Mens enim thesaurizantis thesaurum suum sequitur, & quasi in naturam terrestris substantiæ demutatur : nec solùm nunc, sed etiam in futuro atque perpetuo. Nam cùm, ut scriptum est, ante hominem vita pariter ac mors sint, & ad quod vult manum porrigat ; necesse est, ea unusquisque hominum in æternitate possideat, quæ hîc quasi manu sua ipse pervaserit, voluntatique ac sententiæ suæ deditus, his in futuro adhæreat conditione, quibus hic adhæsit affectu ; secundùm illud scilicet Domini nostri : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* (*Matth.* 6.) (*g*) *Ideò præmonuit Salva-*

(*e Ps.* 48. (*f*) *Salvian. ad Eccles. l.* 3. (*g*) *Idem l.* 1.

tor: Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo. Intelligi juxta carnalem auditum ista non possunt. Numquid enim aut omnes mali in terra corporales thesauros suos, aut omnes boni cœlo locant? Non utique. Et ideò effectus spiritalium rerum atque virtutes vis sacræ locutionis expressit: scilicet, ut quia cupiditati & avaritiæ terrena atque tartarea, misericordiæ autem ac largitati cœlestia ac sempiterna debentur, idcircò diversitas terreni & cœlestis thesauri posita sit: ut qui cupiditati & avaritiæ thesaurizarent, inferno se opes locare cognoscerent; qui verò misericordiæ & humanitati, cœlestes se thesauros præparare gauderent. Loca itaque thesaurorum de meritis thesaurizantium nominavit. Ibi enim dicuntur esse jam thesauri, ubi sunt thesaurizantes futuri. (*h*) Cogitent igitur cuncta ista quæ dicimus; imò cogitent cuncta illa quæ Deus dicit, qui sibi nec ante mortem omninò consulunt, nec in morte succurrunt,

(h) *Salvian. ad Eccle. l.* 1.

apud quos oblivio est penitùs suarum animarum: nec interest pænè jam apud homines, quibus consulant, dummodò sibi omnino non consulant; (i) *Sibi non malè fore, per summam amentiam arbitrati, si modò, quas semper charissimas habuerunt divitias, eæ tandem salvæ alicubi perstent; & apud alios vivat, quam etiam morientes fovent, insana opum cupiditas. Gemunt miseri, incusantq́;, cum Agag rege illo Amalecitarum pinguissimo, nudam nudantemq́; mortem:* Siccine separas amara mors? (k) *At vehementius illis dolet divitiarum, quàm animæ, recessus.* Eorum, *inquit S. Ephræm*, qui terrenas divitias amant, omnis vita in spe vanâ consumitur; & quantò major est divitiarum copia, tantò ampliùs mortis metum auget. Recordatio quippe mortis intus habitans, dolorem affert secundùm proportionem uniuscujusque sensus; non ut instituantur præceptis temperantiæ, justitiæ, & fortitudinis; nec de gehenna, & justo Dei judicio. Verùm inopiâ consilii laborantes, secum ipsi lamentantur, deplorantque opes, di-

(i) *Idem l.* 3. (k) 1. *Reg.* 15.

ctitantes : Quis igitur poſt mortem noſtram, tantam poſſidebit opulentiam? quod & regibus gratum eſt, Quis ſcilicet poſt eos regnaturus ſit. Ecquis igitur dominus tanti auri & argenti? Eccui poſteà deſerviet tantus auri apparatus? (*l*) O cœcitas, ô inſania! quanto ſtudio, infeliciſſimi homines, id efficitis, ut miſeri in æternitate ſitis? Quanto minore cura, minore ambitu, id vobis præſtare potuiſtis, ut ſemper beati eſſe poſſitis? Cujus rei quidem cauſam aliam omnino invenire non poſſum, niſi ſolam tantummodò incredulitatem atque perfidiam, id eſt, quòd aut judicandos ſe à Deo homines eſſe non putent, aut reſurrecturos omnino eſſe noncredant. (*m*) Nam ſi noſſent aliam vitam, illic ſibi theſaurizarent, quod hîc erat periturum. (*n*)

III. *Dives ille, apud Lucam, (a) habens uberes proventus, & horrea plena, cogitabat illa deſtruere, & majora facere, quæ annonam in annos plurimos caperent,*

(l) *Ephræm de recordat. mortis.* (m) *Salv. ad Eccle l.* 3. (n) *Auguſt. in Pſ.* 75.
(a) *c.* 12.

& requiescere in bonis suis, tanquam finem ultimum adeptus : Sed meritò illi taliter respondit, qui scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt (Ps. 93.) Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cujus erunt? Benè, stulte; quia ibi totum de carne fuerat, nil de corde. Benè, stulte; quia migraturæ mox animæ condita satis longa præparabat... Convenienter, hac nocte: quia fugiens misericordiæ lucem, avaritiæ tenebris se manciparat. Repetunt animam tuam à te. Quare non dixit, Qui dederat repetit, sed repetunt? Quia Sanctorum Deus repetit animas, & reducit: tartarei ministri repetunt & pertrahunt animas impiorum. (*b*) Stulte. Ipsis illis æternis cruciatibus major est stultitiæ nota. Qui enim paulò pòst erat rapiendus à vita, quæ cogitat? ... Sed vide dispensationem justi judicii Dei: indulget ei, prodere ac proferre omnia consilia sua: publicare sententiam suam, ut & ipse dignam tali mente ac voto, condemnationis sententiam ferat. Quod utique

(b) *chrysol. serm.* 104.

que propterea scriptum est, non tantùm ut quid ille passus sit, nosceremus, sed quomodo nos effugere debeamus, ne similiter condemnemur... Caveamus exemplum divitis istius, qui dum præsentes divitias concludit, & de futuris sollicitudinem gerit; divitiis pariter abreptus & vita, protrahitur ad tribunal horrificum, in quo, accusatrix quidem hujus assistit, ipsa illa, quæ & totius vitæ ejus comes extitit, avaritia; defensor verò & intercessor nusquam ullus apparet. Circumspectat namque Sanctorum multitudinem divinis tribunalibus assistentem, & intentis ac sollicitis oculis circumlustrat si quem fortè videat charum sibi ac familiarem in hac vita obsequio suo factum, nec usquam tamen ullum invenit. (c) Justo Dei judicio factum est, ut qui temporali substantia solummodò gaudere curabat, uno momento & temporalem pariter & æternam amitteret gloriam. (d) Jam patet, quod sæpiùs

(c) *Ambr. serm.* 81. (d) *Laurent. Justinianus discipl. monast. conversat. c.* 4.

Sapientum voce definitum vix credebatur: Pecuniarum scilicet compendia dispendio salutis comparari. En ab hoc divite anima, ipsâ nocte, qua de horreis cogitarat, repetitur. Quod verbum apertè indicat, dæmoni eam oppignerasse, ut opes augeret. Vix reperies, qui opes possideat & animam. Illam enim produnt, ut has teneant. (e) *Expavesce, & horresce totus, quisquis adhuc temporalibus inhias, id quod Servator noster subjungit:* Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. (f) Exhorrescant omnes divites, abundantes pecunia, auro, argento, familia, honoribus; exhorrescant, quod dictum est: Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges. (Ps. 72.) Nónne digni sunt hæc pati, ut Deus in civitate sua imaginem eorum ad nihilum redigat, quia & ipsi in civitate sua terrena imaginem Dei ad nihilum redegerunt? (g) Recordamini in Evangelio divitem illum, & pauperem illum. Divitem indutum purpura & bysso, & quotidia-


(e) *R. P. Oliva Stromat. l.* 13. *ex c.* 12. *Luc.* 12 *v.*20. (f) *Luc.* 12, 21. (g) *August. in Ps.* 72.

nis epulis ſaginatum; pauperem verò illum, jacentem ante januam divitis, eſurientem, & de menſa ejus micas requirentem, ulceribus plenum, à canibus linctum... Contingit mori inopem illum, & auferri ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & dives, & ſepultus eſt in inferno. Cùm autem in tormentis eſſet, levavit oculos, & vidit Lazarum requieſcentem in ſinu Abrahæ. Tunc clamavit... Superbus temporis, mendicus inferni... De duobus ergo iſtis, dicite mihi, quis eſt benè mortuus, & quis eſt malè mortuus? (*h*) Pauper beatitudinem emit mendicitate, & dives ſupplicium facultate. Ille in Abrahæ gremio ab Angelis elevatur; dives verò ad inferni profunda perducitur: de quo loco vidit dives pauperem, imò jam pauper divitem. Deſiderat guttam, qui negaverat micam.... Ergo inter divitem purpuratum, & Lazarum ulceroſum, mutatæ ſunt vices. Dives perdidit quod habebat, pauper cœpit eſſe quod non erat. Dives ille in ſæculo apothecas plenas reliquerat, &

(h) *Aug. de verb. dom. ſerm.* 24.

in inferno guttam ardens petebat, & impetrare non poterat. Attendite, Fratres. (*i*) Dives fuit ille, de quo nunc loquimur: divites sunt & isti, ad quos nunc loquimur. Unius sunt nominis; caveant, ne sint etiam conditionis. (*k*)

(i) *Aug. de Temp. serm.* 227.
(k) *Salvian. ad Eccle. l.* 3.



CONSIDERATIO XVI.

HÆREDITAS SOLLICITE TRANSMISSA.

I. Est & alia infirmitas (*miseria, afflictio; ex Hieronymo & Ambrosio*, languor; *ex aliis*, ægritudo) pessima, quam vidi sub sole: Divitiæ conservatæ in malum domini sui, (imò potiùs, servi sui; *addit Hugo Cardinalis*.) Pereunt enim in afflictione pessimâ. Generavit filium, qui in summa egestate erit. (*a*) Quia scilicet perierunt

(a) *Eccle*, 5.

opes, five furto, five alio casu, parenti; aut quia filius eas prodigè consumpsit; vel quia filius patrem secutus, sordidè opibus inhiat, nec audet iis uti, sed fame & ærumnis tabescit, ut opes intactas conservet. (*b*) *Quam ob causam seipsum increpans & corrigens Salomon*, Rursus detestatus sum, *ait*, omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me, quem ignoro, utrum sapiens an stultus futurus sit: & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & sollicitus fui: & est quidquam tam vanum? (*c*) *Vnde & alter Sapiens*: Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia; & homini livido (*avaro*) ad quid aurum? Qui acervat ex animo suo (*sibi ipsi subtrahens*) injustè, aliis congregat: & in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in divitiis suis. (*d*) Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea. (*e*) *Quocirca sapienter Olympiodorus*, Melius est, *inquit*, nosip-

(b) *Corn. à Lapide ibi.* (c) *Eccle.* 2.
(d) *Eccli.* 14. (e) *Ps.* 38.

ſos, dum ſumus in hac vita, diſpenſare divitias noſtras in pauperum ac egenorum neceſſitates, ut ita theſaurum habeamus indeficientem in cœlis, quàm alios in hæreditatem transmittere, qualeſcumque demum eos fore contingat. (*f*) *Et iterum Siracides*: Ante mortem benefac amico (*ex Lirano*, proximo) tuo, & ſecundùm vires tuas exporrigens da pauperi. Nónne aliis relinques dolores & labores tuos (*opes tuas*) in diviſione ſortis? Da, & accipe. (*g*) Ordinavit enim Deus, quòd aliqui ſint pauperes, & aliqui divites, ut divites pauperibus dent temporalia, & pro eis recipiant æterna. (*h*) *Et Chriſtus ipſe*, Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. (*i*) At dices, neceſſarias eſſe opes liberorum causâ. Perbellè tu quidem avaritiam tuam hoc nomine velas, ac tegis: liberos enim prætendis, cor verò avaritiâ plenum geris. Ne, obſecro, culpam transferas in inſontem. Habet enim is proprium do-

(f) *Olympiod. in Eccle.* 2. *v.* 19. (g) *Eccli.* 14.
(h) *Liran. ibi.* (i) *Luc.* 16.

minum, habet proprium œconomum, cui vitam acceptam refert, & à quo vitæ ſumptus expectat. Num his, qui uxores ſibi adjunxerunt, Evangelium ſcriptum non eſt? ſcriptum etenim eſt: Si vis omni ex parte perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. (Matth. 19.) Quando petebas à Domino, ut te liberis frugi ornaret, num etiam illud addidiſti: Da mihi filios, ut mandata tua negligam, ac nihili pendam; Da mihi liberos, ne in regnum cœlorum intrem? Quis verò ſponſionem faciet, filium tuum, rebus datis ac relictis, rectè uſurum? Multis enim divitiæ miniſtras ſe præbuerunt ad intemperantiam. Vide igitur, ne eas divitias, quas magno cum labore congeſſiſti, aliis velut materiem quandam peccandi des, & ne deinde binas pœnas pendas, tum ob ea quæ ipſe perperàm feciſti, tum ad quæ perpetranda campum alteri ſuppeditaſti. (*k*) Nónne cunctis liberis conjunctior eſt tibi anima tua? nón-

(*k*) *Baſil. orat.* 14. *de divitiis*, & *hom.* 7. *in divites.*

ne omnium familiarissima? Huic tu primas da partes divitis hæreditatis, vitæ videlicet æternæ divitem materiam; deinde filiis victum distribue. Filii namque quandoque domui paternæ minimè succedentes, aliam sibi constituunt. At anima abs te relicta neglectaque apud quem misericordiam inveniet? (l) Fili, *monet Scriptura sancta*, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer. (m) Benefacit animæ suæ vir misericors. (n) *Et iterum*: Miserere animæ tuæ placens Deo. (o) Vide pietatem erga te Domini nostri; vide quàm misericors sit Dominus Deus noster, qui nos ipsos pro nobis misericordiam rogat. (p) *Et alibi*: Peccata tua eleëmosynis redime. (q) Bona est oratio cum jejunio, & eleëmosyna magis quàm thesauros auri recondere. Quoniam eleëmosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam. (r) Non liberabunt filii divites parentes reos: nec restinguet flam-

(l) *Idem hom. illâ* 7. (m) *Eccli.* 14. (n) *Proverb.* 11. (o) *Eccli.* 30. (p) *Salvian. ad Eccle. l.* 3. (q) *Dan.* 4. (r) *Tob.* 12.

mas miseri testatoris, delitiis affluens opulentus hæres. Durum est, ab aliquo filiis ac propinquis parum relinqui. Multò est durius, in æternitate torqueri.... Hæc ergo cogitent, qui dum filios habere post mortem divites cupiunt, futurorum suppliciorum nec in morte meminerunt. Hæc cogitent, qui, ut in hac caduca & brevi vita hæredes divites habeant, æterna seipsos morte condemnant. (*s*)

II. Babylonia est mundus iste. Babylonia enim interpretatur confusio. Videte, si non est confusio tota vita humana. Quidquid agunt homines in spe vanâ, cùm agnoverint quid agunt, erubescunt. Quare laborant? Cui laborant? Filiis meis, inquit. Et ipsi, cui? Filiis suis. Et ipsi, quibus? Filiis suis. Nemo ergo sibi. (*a*) Et ipsi filii servant, quod reliquerunt eis parentes sui. Parum est quia servant; & augent. Quibus & ipsi servant? Filiis suis, & illi filiis, & tertii filiis. Quid Christo? Quid animæ suæ? Omnia filiis. Inter filios suos quos habent in terra, com-

(*s*) *Salvian. sup.*
(*a*) *Aug. in Ps.* 125.

putent unum fratrem quem habent in cœlo, cui totum dare debebant, vel dividant cum illo. (*b*) Numera filios tuos : adde unum illum inter illos Dominum Deum tuum. Unum habes; fit ille secundus : duos habes ; sit ille tertius : tres habes ; sit ille quartus. Nihil horum vis. (*c*) Et relinquent alienis divitias suas. (*d*) Quare dixit, alienis ? Quia nihil eis prodesse possunt. (*e*) Noli parcere thesauris caducis, thesauris vanis. Noli sub imagine pietatis augere pecuniam. Filiis, inquis, meis servo. Magna excusatio. Filiis meis servo. Videamus. Servat tibi pater tuus, servas tu filiis tuis, filii tui filiis suis, & sic per omnes; & nullus est facturus præcepta Dei. Quare non illi potiùs impendis omnia qui te fecit ex nihilo ? Qui te fecit, ipse te pascit : ex his quæ fecit, pascit & filios tuos. Neque enim meliùs committis filio tuo patrimonium tuum, quàm Creatori tuo. Et mentiuntur quidem homines. Mala est, inquiunt, avaritia. Palliare se volunt

(b) *August. in Ps.* 48. (c) *Idem l. Discipl. Christ. c.* 1. (d) *Ps.* 48. (e) *Aug. in istum Ps.*

nomine pietatis, & dealbare, ut quasi propter filios videantur servare homines, quod propter avaritiam servant. Nam ut noveritis quia sic plerumque contingit, dicitur de quodam, Quare non facit eleemosynam? Quia servat filiis suis. Contingit ut amittat unum. Si propter filios servabat, mittat post illum partem suam .... An non potest mitti in cœlum? Potest prorsus. Audi ipsum Dominum dicentem, Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. (Matth. 6.) Si ergo ille thesaurus meliùs est custoditus in cœlo, numquid tunc mittendus est filio, quando, si missus fuerit, non peribit? Tenetur hîc ubi potest perire, non mittitur illuc ubi Christus est custos ... An idoneus est tibi procurator tuus, & minùs idoneus est Christus? Videtis, Fratres, quia mendacium est quod dicunt homines, Filiis meis servo. Mendacium est, Fratres mei, mendacium est; avari sunt homines. *Hæc magnus ille Augustinus.* (f) *Audi & Chrysostomum.* Certè cuncta pervertit, atque dejicit immen-

(f) *Aug. l. de decem chordis c. 12.*

sa divitiarum cupiditas; &, ceu crudelissimus quidam tyrannus, arce occupatâ, libertate civitatem privat: sic animis omnium dejectis, verum Dei timorem turpiter expellit. Ideoque tam nostram, quàm liberorum salutem negligimus; ac unum solummodò respicimus, ut magis locupletati magnum pecuniarum numerum aliis relinquamus, qui pariter aliis, atque isti posteà aliis relinquant: sic pecuniarum transmissores (ut ita dicam) ad posteros, non domini sumus. (g) *Atque, quòd non ex vero erga liberos amore, sed ex insana quâ feruntur in divitias homines cupiditate, in quibus velut superstites esse post mortem velint, eas filiis transmittant; patet ex praclara illa oratione, qua Salvianus Massiliensis Presbyter, ac posteà Episcopus, (h) describit, deploratáq; hominum, ut ipse appellat, impietatem, qui liberis suis, in religiosis domibus Deo sese mancipantibus, nihil aut certè minus quàm aliis in saculo remanentibus, relinquunt. Pauca hîc exscribam: juvabit cetera perlegisse.* Nullis à suis minus relinquitur, quàm quibus ob Dei re-

(g) *Chrysost. in Matth. hom. 60.*
(h) *Bellarm. de Scriptor. Eccle.*

verentiam plus debetur. Si qui à parentibus filii offeruntur Deo, indigni judicantur hæreditate, qui digni fuerint consecratione : ac per hoc unâ tantùm re parentibus viles fiunt, quia cœperint Deo esse pretiosi. Ex quo intelligi potest, quòd nullus pænè apud homines vilior est, quàm Deus: cujus utique fit despectione, ut eos præcipuè parentes filios spernant, qui ad Deum cœperint pertinere. Sed præclaram videlicet, qui hæc faciunt, rationem consilii sui reddunt, dicentes: Quid opus est, ut filiis jam religiosis æqua hæreditatis portio relinquatur? Nihil ergo justius, nihil dignius, quàm ut quia cœperunt religiosi esse, mendicent: non quidem quòd eos hæc res mendicitate oppressura sit, quòd à terrenis rebus abdicantur, cœlum spe possidentes, citò etiam repossessuros, regente illos Deo suo, ac protegente, qui eos, cum immortali spe æternorum, etiam sufficientiâ temporalium muneratur. Sed tamen, quantum ad inhumanitatem parentum pertinet, egent, à quibus sic relicti sunt, ut egerent.... Dicitis, quid opus sit religiosis æqualem accipere cum fra-

tribus patrimonii portionem? Respondeo, ut religionis fungantur officio, ut religiosorum rebus religio ditetur, ut donent, ut largiantur, ut illis habentibus cuncti habeant non habentes... Cur eis, quæso, ô inhumanissimi parentes, necessitatem indignissimæ paupertatis imponitis? permittite hoc religioni ipsi: rectiùs pauperes à se fiunt. Si tantùm eos inopes esse cupitis, concedite id ipsorum devotioni: liceat eis, quæsumus, ut velint pauperes fieri: eligere inopiam debent, non sustinere. Postremò etiamsi sustineant, devotione eam tolerent, non damnatione patiantur. Cur eos velut à natura expellitis, & quasi è jure sanguinis abdicatis? .... Cùm vos ideò plus relinquere ex patrimonio vestro religiosis filiis deberetis, ut aliquid ad Deum ex facultatibus vestris saltem per filios perveniret; ideò filiis non relinquitis, ne illi habeant, Deo quod relinquant.... Cur, rogo, tam infideliter, cur tam impiè? Non exigimus, ut vestra Domino largiamini; aliquid Deo de suo reddite. Cur tam avarè, cur tam impiè agitis?

Non est vestrum, quod denegatis. Iniquum ergo arbitramini, ut sæcularibus filiis religiosos filios substantiâ pares esse faciatis? Id ergo agitis, ut pœniteat eos cœptæ religionis, quos religio apud vos fecerit viles...... Quantum in vobis est, id agitis, ut sæculi eos cultores esse faciatis, quibus sæculares filios antefertis. *Hæc & alia plura Salvianus ille*, (i) humana & divina litteratura instructus, & (*verba sunt Gennadii*) (k) Episcoporum magister, *qui sæculo quinto floruit. Deflet deinde etiam* infelicissimam quorumdam vanitatem, & ridiculam miserorum testatorum ambitionem, qui investigant quosdam novos ac nobiles propinquos aut affines velut subitaneos, quibus res propriæ facultatis, id est, pretium redemptionis animæ suæ, addicant, *omissis neglectisq́, quos apud Deum habuissent patronos & amicos, pauperibus. Priùs autem idem Scriptor copiosè ostenderat, amorem ac curam paternam erga liberos, non in sollicitâ acquisitione & transmissione caducarum opum, sed virtutis*

(i) *Salv. ad Eccles. Cathol. l.* 3.
(k) *Lib. de illustr. Viris.*

ac modestiâ christianâ, versari debere, eoque modo amandos filios, quo Deus ipse constituit. Quo modo igitur Deus amari filios jusserit, non dico ego, dicat sermo ipse divinus, qui ad patres omnes generaliter ita loquitur, ut tradant mandata Dei filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei sui, & mandata ejus exquirant. (*Ps* 77.) Alibi quoque: Et vos, inquit, Patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina & correptione Dei. (*Ephes.* 6.) Videtis, quas parari opes à parentibus filiis Deus jubeat; non pecuniarios thesauros, nec graves aureo metallo saccos, habentes quidem multum ponderis, sed plus tamen iniquitatis; non superbas ac præeminentes excelsis urbibus domos, *&c.* Quid ergo æstuas paterna pietas? quid ad conquirenda terrena & peritura distenderis? Nihil majus præstare filiis potes, quàm si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitùs amittant. Non necesse est ergo, ut filio tuo terrenos thesauros recondas: nul-

la re eum facies ditiorem, quàm si ipsum filium tuum thesaurum Dei feceris. (*l*) *Ita ille, ex Christi sensu. Et Chrysostomus* : Cupis hæreditatem bonam filiis relinquere ? Eleemosynam relinque. (*m*) Et nunc hoc filiis da chirographum, & Deum relinque debitorem. (*n*) Nam illis omnia si reliqueris, rursus incertæ custodiæ tua omnia committis : qui si illis Deum relinquis cohæredem ac curatorem, infinitos thesauros relinquis. Quemadmodum enim cùm de nobismetipsis ultionem sumimus, nobis tum Deus non opitulatur; cùm autem illius arbitratui rem permittimus, tum expectationem nostram rei exitus superat: sic & in pecuniarum ratione usuvenit. Si nostram in eis cogitationem fixerimus, desinit ille de illis curam habere : sin illi negotium totum commiserimus, fiet ut & illas & liberos item in omni securitate collocet...... Itaque si liberis tuis magnas opes relinquere vis, Dei providentiam relinquito.... Relinquito eis Deum debi-

(l) *Salv. ad Eccle. l. 1.* (m) *Chrysost. de pœnit. hom. 9.* (n) *Idem hom. 33. ad Pop.*

torem, ipsique Deo has testamentarias tabulas porrigito. (o) Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus servas: ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias sæculares divina majestate protector. Patrimonium Deo creditum nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Hoc est charis pignoribus in posterum providere: hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere, secundùm fidem Scripturæ sanctæ dicentis: Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Tota die miseretur, & commodat: & semen illius in benedictione erit. *Ps.* 36. (*p*)

III. Prævaricator itaque & proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosa & vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis quàm cœlesti patrimonio, filios tuos diabolo ma-

[o] *Chrysost in ep. ad Rom. ho.* 7. *& ad Pop. ho.* 53. [p] *Cyprian. de opere & eleëm.*

gis commendare quàm Christo, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis: & quòd non præparas filiis tuis Dei patris auxilium, & quòd doces filios patrimonium plus amare quàm Christum. Esto potiùs liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da utilia & salutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: manda filiis tuis, quod & ille filio mandavit, (a) dicens: Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna

(a) *Cyprian. ibid.*

erit coram summo Deo, eleemosyna, omnibus facientibus eam ... Noli timere fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus benè. (*b*) *Hæc Sanctus Tobias filio suo, unicè sollicitus de timore & amore Dei illi relinquendo, Sanctorum utique hæreditate.* In hora autem mortis suæ vocavit ad se Tobiam filium suum, & septem juvenes filios ejus nepotes suos, dixitque eis: Audite, filii mei, patrem vestrum: servite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ placita sunt illi: & filiis vestris mandate, ut faciant justitias & eleëmosynas, ut sint memores Dei, & benedicant eum in omni tempore in veritate, & in tota virtute sua. (*c*) Hæc est hæreditas servorum Domini, & justitia eorum apud me, dicit Dominus: (*d*) hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. (*e*) Ego enim hæreditas, &

(b) *Tob.* 4. (c) *Tob.* 14. (d) *Isai.* 54.
(e) *Ps.* 36.

possessio eorum, ait Dominus Deus. (*f*) *Ita* benedictionem accepit à Domino, (*g*) *misericordis Tobiæ optimus filius*, & semen illius in benedictione fuit. (*h*) *Quod & clarè annotat Scriptura*: Et completis annis nonaginta novem in timore Domini, cum gaudio sepelierunt eum. Omnis autem cognatio ejus, & omnis generatio ejus, in bona vita, & in sancta conversatione permansit, ita ut accepti essent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra. (*i*) *En hæreditatem præclaram. Vis similem liberis tuis obvenire? Pietatem illis relinque, & Christum debitorem ac tutorem. Constantinopoli civis quidam prædives, in eleemosynas effusus, vocato ad se filio, corámque expositis divitiis omnibus, Vtrum tibi gratius est, fili, inquit: istásne omnes tibi dimittam pecunias, an Christum curatorem? Cui ille prudentissimè, Christum se præoptare, respondit: Bona siquidem ista terrena omnia præterire, hodie esse, cras evanescere, Christum verò æternùm permanere. Sapienti responso recreatus pater,*

(f) *Ezech.* 48. (g) *Ps.* 23. (h) *Ps.* 36. (i) *Tob.* 14.

liberrimè omnia & largâ manu pauperibus erogavit, adeò ut moriens modicum quid filio vix relinqueret. At is plenus in Deum suum fiducia, luculentè expertus est quam fidelis & copiosus remunerator sit Christus. Eâdem in civitate, parentibus benè locupletibus, ac Deum timentibus, unica erat filia, morum & opum hæres. Huic de quærendo sponso pietate instructo cùm deliberant parentes optimi, inter eos convenit, ut mater ad ædem sacram pergat, ac fusis ad Deum, communem omnium parentem, precibus, eum adsciscat in sponsum filiæ, qui primus ædem ingrediatur. Ita factum; benè favente Numine. Orante matronâ, ingreditur juvenis ille, & divino velut instinctu afflata mulier, mittit è famulis unum, qui juvenem roget, quis, qua domo? Vbi filium celebris illius eleemosynarii intellexit, illicò generum sibi expetit, & filiam totámque hæreditatem addicit. (k) En illustrius divitias suas pauperibus & Christo transcribentis exemplum & præmium. Arnulphus, ex nobilißimo Francorum stemmate, & Palatii moderator seu Major-domus, posteà deserto sæculo Metensis Episcopus, vita sanctitate & miracu-

[k] *Ioann. Moschus Prat. Spirit. c. 201.*

lis celebris. duos priùs è legitimo matrimonio susceperat liberos, Clodulphum, & Anchisum seu Anchisen: cùmque esset in egenos admodum liberalis, conatus est eos pertrahere in piam suam voluntatem, quâ omnes facultates in pauperum usus elargiretur. Renuente Clodulpho primogenito; Anchisus, in Christo, qui quæ pauperibus fiunt, sibi fieri profitetur, spem piè collocans, partem, quæ sibi obtingeret, in patris arbitrium manusque remittit. Gratulatus filio piissimus parens, fausta illi apprecatur, ejusque progeniei in posterum secuturæ, ac longè plura, quam reliquerit, adepturum prædicit. Nec fefellit spem eventus & vota. Siquidem multò copiosiores Anchiso accessere divitiæ, & ex ipso Reges & Imperatores multi originem duxere: Ipse enim Pipinum genuit, Pipinus Carolum Martellum, hic Pipinum Iuniorem, ex quo Carolus Magnus, & ex hoc ceteri Francorum Reges. (l) Hæc læta, quæ te excitent ad Christum seu pauperes saltem cohæredes opum tuarum scribendos. En quædam ex plurimis tristia, quæ te avocent ab avara & sollicitâ mente filiis posterisque

(l) Paul. Warnefrid. de Episc. Met. relatus ab Andr. du Chesne Hist. Franc. Script. to.2.pag.201.

tuis congregandi multa & transcribendi. Successores cujusdam Comitis, qui contra jus prædium quoddam Ecclesiæ Metensis possederat, & posteris transmiserat, visi sunt ad inferos cum illo detrusi, etiam decimus ipse hæres, qui cetera probè vixisse & obiisse videbatur. (m) *B. Mariæ Ogniacensi videndam se à morte præbuit misera mater, asserens se ad inferos damnatam, quòd innutrita fuisset, & vixisset in iis quæ per injusta mercimonia & usuras acquisita fuerant, nec, mali conscia, curasset restitui, mundique fallacibus viis instititisset.* (n) *Furiales diras, æternumque mutuas parentum liberorumque execrationes, quibus hi materiem sibi vitiorum mundanæque vanitatis à malesanis parentibus relictis amplis facultatibus subministratam detestantur; illi contrà, ut filios ditarent, vitam salutemq; perditam: ejusmodi, inquam, tartareas imprecationes, leges, mi Christiane, non sine horrore & fructu, apud S. Antoninum Florentinorum Archiepiscopum,* (o) *Guilielmum Peraldum Episcopum Lugdunensem*

(m) *Petr. Damiani l. 1. ep. 9. ad Nicol. II. Baron. tom XI. an.* 1055. *n.* 13. (n) *Th. Cantiprat. l. 2. Apum c.* 54. *n.* 18. (o) *Antonin. 2. p. summæ tit.* 1. *c.* 7. §. 3.

nensem, (p) *Dionysium Carthusianum Doctorem Ecstaticum*, (q) & *alios. Ad extremum appono verba, quibus magnus is vitæ Christianæ magister Dionysius viduam quandam, extremo, quem ad illam scribebat, contra avaritiam libro, sapienter monet, ut servatâ sibi honestâ portione, congruentem* quoque cognatis assignet ex vera charitate, non ut eos, *inquit*, immoderatè dites, aut eleves in sæculo isto. Si verò ex carnali amore ditares & elevares eos in vita ista superfluè, omnia peccata eorum ex tali ditatione & elevatione eorum sequentia, imputarentur tibi à Deo, & simul cum eis damnareris. Ipsi quoque in inferno æternaliter maledicerent tibi, & damnationem tibi cum maximo odio imputarent, sicut de hoc loquuntur multa exempla authentica. Residuam verò pecuniam eroges in usus pios, succurrendo pauperibus, & cœnobia collapsa ac deformata recuperando pro posse tuo, &c. (r)

N

(p) *Perald. Sum. vitior. to. 2. tr. 4. p. 3.*
(q) *Dion. Carth. de 4. novis. art. 42.*
(r) *Dion. Carth. lib. contra avarit. c. 10.*



CONSIDERATIO XVII.

FOENERATIO CHRISTIANA.

I. FOEneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei : *ex Chaldæo* : & retributio bona retribuetur ei. (*a*) Recipiet enim magna pro modicis, & cœlestia pro terrenis. (*b*) Ecce bonum fœnus de malo factum est. Ecce irreprehensibilis fœnerator; ecce usura laudabilis. Nolite ergo jam invidentem me vestris commodis æstimare. Putatis quòd hominem subtraham vobis debitorem? Dominum provideo, Christum surrogo; illum demonstro, qui vos fraudare non possit. Fœnerate ergo Domino pecuniam vestram in manu pauperis. Ille adstringitur & tenetur; ille scribit, quidquid egenus acceperit. Evangelium ejus cautio est.

(a) *Prov.* 19. (b) *S.Gaudent.Ep.Brix.serm.*13.

Ille promittit pro omnibus indigentibus; ille dicit fidem; quid dubitatis dare? Si quis vobis dives hujus sæculi offeratur, qui fide promittat sua pro aliquo debitore, statim numeratis pecuniam. Pauper est vobis Dominus cœli, & conditor mundi hujus: & adhuc deliberatis, quem ditiorem quæratis fidejussorem? (c) Sed, cur non dixit, Qui miseretur pauperis, dat Deo; sed, fœneratur? Novit Scriptura avaritiam nostram: intellexit appetitum nostrum insatiabilem, qui sibi majora ad appetendum proponit, redundantiam ac plus semper quærere: ob eamque causam non dixit omnino, Qui miseretur pauperis, dat Deo, ut ne simplicem largitionem & vicissitudinem mercedis existimes; sed, Qui miseretur pauperis, Deo fœneratur, ut avarus & lucri cupidus, audito usuræ nomine, se ipse misericordiæ dederet, Qui misericordia cum paupere utitur, Deo dat fœnori. Si Deus à nobis fœnori accipit, ergo noster est debitor. Utrum ergo eum habere vis, judicem, an debito-

(c) *Ambr. de Tobia cap.* 16.

rem ? (*d*) Fœneranti dicit Deus : Non credis huic (*pauperi*) per inopiam, mihi per divitias crede. Vidit pauperem, neque ſprevit, ſed ſemetipſum dedit pignus nihil habenti, atque inopi adſtitit ſuâ multâ de bonitate. Veram hanc conſtat eſſe clementiam, probante ſancto David, & dicente: Adſtitit à dextris pauperis. (*Pſ.*108.) Confide mihi fœnerans.... Ego tuam ſupero avaritiam, ſuperexcedo immenſam illam cupiditatem, atque meâ ubertate immoderantiam tuam. Centum quæris : ego centuplum tribuo ... Audi quando & ubi tibi debitum reddet, cui per pauperes fœneraris. Cùm ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ &c. (*Matth.* 25.) Deus occultè mutuum accipiens, palàm debitum reddit, in oculis univerſæ creaturæ. (*e*) Quòd ſi feſtinas, neque tempus expectas remunerationis, intellige eos qui pecunias hominibus fœnori dant, nolle continuò uſuras exigere : ſed gratum eſt eis, diutiùs in debitorum manibus ſummam eſſe, modò cautio-

[d] *Chryſoſt. to. 1. hom. in illud Pſ.* 38. Verumtamen vanè conturbatur omnis homo, *&* *infrà.*
(e) *Chryſoſt. hom.* 5. *de pœnitent.*

nem habeant, neque debitor suspectus sit. Idem hoc quoque in loco fiat. Dimitte res tuas apud Deum; & tibi multiplicem mercedem reddet. Noli in hoc sæculo mercedem exigere. Nam si hic totum accipies, quomodo illic eo fruêris? Proptereà Deus illic reservat, quandoquidem caduca est præsens vita. Verùm & in hoc quoque sæculo largitur. Quærite enim regnum cœlorum, inquit, & hæc omnia adjicientur vobis. Matth. 6. (*f*) Habes igitur locupletissimum debitorem. .... Num indignatur hic debitor, cùm fœnus exigitur? ... Non cernis ejus nullo explicabiles sermone thesauros? .... Ipsum igitur tene, ipsumque exige: hac enim exactione delectatur.... Se principalem debitorem tuum, seque vult esse vadem, præbens tibi occasiones innumeras exigendi.... Sed non tibi in præsenti cuncta restituet. Verùm hoc quoque tuo commodo facit. Est quippe talis hic debitor, non qui, ut alii, festinet ipsum tantummodò mutuo datum exsolvere: sed agit omnia, ut quod da-

(*f*) *Idem in* 1. *Cor. hom.* 15.

tum est, maneat in tuto. Propterea hic quidem reddit ex parte, maximum autem tibi in futuro thesaurum reservat. (g) Vide quàm latè crescat foenus tuum. Da modica, accipe magna. Da temporalia, accipe æterna. Da terram, accipe cœlum.... Non eget à te Deus, sed habes alium qui à te egeat. Illi porrigis, ille accipit. Non enim habet pauper quod tibi retribuat, & tamen ipse vult retribuere, & non invenit quid; sola in illo remanet benevolentia orandi pro te. Cùm autem pauper orat pro te, tanquam Deo dicit: Domine, mutuum accepi, fide dic pro me. Proinde etsi non tenes pauperem redditorem; idoneum tenes fidejussorem. Ecce Deus tibi de Scriptura sua dicit, Da, securus esto, reddam. Quomodo solent dicere fidejussores? Quid dicunt? Ego reddo, ego accipio, mihi das. Putamúsne & hoc dicit Deus, Ego accipio, mihi das? Planè si Deus Christus, quod non dubitatur: ipse dixit: Esurivi, & dedistis mihi manducare. (Matth. 25.) ... Eia, avare foenerator, vide quid dedisti, vide quid ac-

(g) *Chrysost. in Matth. hom. 15.*

cepturus es. Si dedisses paucam pecuniam, & ille cui dederas, pro parva pecunia tua daret tibi magnam villam, incomparabiliter ampliùs valentem, quàm tu pecuniam dederas, quantas gratias ageres, quantâ lætitiâ tollereris? Audi, quam possessionem det quem fœnerasti: Venite benedicti Patris mei, percipite. Quid? Quod dedistis? Absit. Terrena dedistis, quæ si non dedissetis, in terra putrescerent. Quod periturum erat in terra, servatum est in cœlo. Ergo quod servatum est, hoc accepturi sumus. Servatum est meritum, factus est thesaurus tuus meritum tuum. Nam vide quid sis accepturus. Percipite regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi...... Ad hoc ambite, hoc emite, ad hoc fœnerate. Habetis Christum in cœlo sedentem, in terra petentem. (h) Fœnerando pauperibus, omnes copias avaritiæ subactas vestrum sine invidia transfertis in censum. Quid enim esse potest ditius homine, cujus profitetur Deus se esse debitorem? (i) O abun-

(h) *August. in Ps. 36. conc. 3.*
[i] *Zeno serm. 2. de avaritia.*

dantia bonitatis Dei ! vult fœnerari ex iis, quæ ipſe largitus eſt. Cupit debitor fieri donorum ſuorum, ut cum multa tibi ratione tuam reddat uſuram. (k)

II. Chriſte, quò te pertrahit amor tuorum? ut avarum lucrifacias, facis eum quod deſiderat, non quod oportet, audire : ſacculos imperas : æternos theſauros, qui non deficiant, vis parari; ut avarus dum conſueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur. Verè pater es, qui cum tuis quibuſcumque parvulis ſic agis. Namque & nos interdum noſtris parvulis petentibus noxia, ingerimus ſalutaria ſub ſpecie noxiorum, fallentes inſipientiam, non decipientes affectum. Dixiſti : Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſauros non deficientes in cœlo. Sacculus cur paratur? Quid ibi clauſtra, ubi ipſa cuſtos eſt innocentia? Ibi quid ſignaculum, ubi fraudis ſuſpicio non habetur? Si & in cœlo ſacculis opus eſt, cura non amittitur, ſed mutatur. Domine, tu vidiſti, quia in theſauris tota fides, tota ſpes in ſacculis, ſit

[k] *Paulin. ep. 32. de gazophyl.*

avaris : & ideò imputribiles in cœlo sacculos vis parari, ut qui te non sequitur ad cœlum, sequatur saltem sacculos suos. Avare, fac tibi sacculos, & fac jubente Deo : quia votis tuis annuit divina majestas. Sed fac tibi sacculos erogando : quia quidquid pauper acceperit, Pater cœlestis suscipit. Et ubi recondit ? in cœlo. Et ne fortè perdidisse te doleas vel usuram, centuplum in cœlesti fœnore recipies, quidquid in cœlo, paupere transmiseris perferente. Usura mundi centum ad unum; Deus unum accipit ad centum : & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt fortasse de cautione solliciti. Quare ? Nónne homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur ? Deus tot & tantis voluminibus cavet : & debitor non tenetur ? Sed dicis, Esto quod debeat : quo exigente restituet ? seipso : quia non potest ille mentiri ; idem ipse est & executor & debitor. Non erit in reddendo durus, qui profusus est in largiendo. Crede, homo, Deo, quod tibi Deus dedit : majora reddere vult, cùm vult debere largi-

tor. (*a*) Crede, inquam, illi, qui, quod afflicto datur, perpetuò quasi suæ personæ datum amplectitur, & de suo reddit, dignus ubique fidejussor, terrà marique apertos habens thesauros... magnificus est in dando fœnore. (*b*) Etenim gratiam habet & debens & erogans nobis Deus: &, quibus maximè debet, hos maximè diligit. Itaque si vis eum semper amicum habere, constitue debitorem. Nec enim fœnerator debitores habens gaudet, sicut Deus creditores habens delectatur. Et quibus quidem nihil debet, hos refugit: quibus verò debet, ad hos accurrit. Igitur omnia faciamus, ut ipsum habeamus debitorem. Hoc enim fœnorum tempus est, & nunc in necessitate constitutus est. Nisi igitur nunc ei dederis, postquam hinc migraveris, tui non indigebit: hîc enim sitit, hîc esurit: sitit autem, quando tuam salutem sitit. Et propterea quoque mendicat, & nudus circumit tibi negotians vitam immortalem. Eum itaque

(a) *Chrysolog. serm.* 25. (b) *Basil. hom.* 8. *in divites avaros.*

ne despexeris. (*c*) Qui tibi dedit opes, per pauperum manus eleëmosynam à te petit : fœnerare ergo Deo ; quia licet ipse quæ sua sunt, accipiat, tamen perinde ac si beneficio affectus fuisset, integram gratiam persolvit. (*d*) Vide usuræ raram naturam & admirabilem. Alius est qui accipit, & alius qui se dandi fœnoris reum facit ; & non hoc solùm nomine : sed quia in hoc usuræ genere non est locus ingratitudini, neque ulli alii damno. Neque enim, quemadmodum vulgo, simplex modò redhibitio promittitur, sed centupla dantur, & non solùm centupla : nam aliqua dantur in præsenti vita, aliqua in futura, nempe vita æterna. Et in præsenti quidem vita, siquis nobis solùm duplicia polliceretur pro his quæ à nobis dantur, parati essemus illi omnem substantiam adferre ; tametsi ibi magna ingratitudo, multæ & stupendæ avarorum fraudes : & multi qui boni habentur, fœnus non solvunt, vel ob malevolentiam nolentes, vel sæpè & propter inopiam non valentes. Quoniam autem nihil tale, omnium

(c) *Chrysost. hom. 53. ad Pop. & hom. 7. in ep. ad Rom.* (d) *Basil. citat. à Damasc. l. 2. Paral. c. 16.*

Domino imputari poteſt (nam & capitalis ſumma in tuto eſt, & centuplum hîc promittitur eleëmoſynam expendentibus, & in futurum vita æterna reponitur:) quæ igitur nobis defenſio erit, ſi negligentes fuerimus, & non feſtinaverimus centupla pro paucis accipere, & pro præſentibus futura, & pro temporalibus æterna? (e) Quando pauperi daturus es in Domini gratiam, idem ipſum & donum & fœnus eſt; donum quidem, quòd à paupere non ſperes te recepturum: mutuum verò ſive fœnus ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis, qui parva quidem per pauperem cùm acceperit, maxima pro ipſis retribuet. Non vis univerſorum Dominum tibi ad exſolutionem authoratum habere? Si quis in civitate dives tibi pro aliis ſpondeat, fidejuſſionem illius accipis: Deum verò non admittis, tantò ſe plura perſoluturum pauperum cauſâ pollicentem? (f) Quis hujuſmodi debitorem recuſet, debitum in tempore non ſine fœnore redditurum? (g)

(e) *Chryſoſt. in Geneſ. hom.* 3. (f) *Baſil. in Pſ.* 14. (g) *Greg. Naz. orat.* 16.

Nec enim ipsi quidquam amplius ex nostra fit humanitate; sed totum in nostrum cedit emolumentum.... Ait enim, Da indigenti, ne quis tibi rapiat..... Donec ipse retines, non habes in tuto: si verò per pauperes mihi dederis, omnia tibi diligenter ipse præsto, & in tempore congruo cum multa accessione restituam. Non enim, ut auferam, sumo, sed ut plura efficiam, ut custodiam diligentiùs, ut ea tibi conservem in illud tempus, in quo qui mutuet nemo, nemo qui misereatur. Quid igitur nobis crudelius fuerit, qui post tot promissiones ei mutuare non sustinemus? Inopes enim & nudi transimus ad eum, credita non habentes: quoniam ea diligentissimè super omnes custodienti non commendamus, ideoque & extremam luemus pœnam. (*b*)

III. *Illustre sanè fœnerationis hujus Christianæ exemplum habemus in Evagrio Philosopho. Hic priusquàm Baptismo, ad quem instruebat Synesius Cyrenes Episcopus, tingeretur, multa è Christianis dogmatis pro fabulis & deliramentis habebat,*

(b) *Chrysost. hom. 53. ad Pop.*

atque inter illa gnomen laudatam Salomonis : Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. *A baptismo autem, Episcopo dedit magnam auri vim erogandam in pauperes, ab eoq; chirographum poposcit, quo promitteret illam in altera vita cum fœnore à Christo reddendam: quod & moriens filiis suis injunxit, ut post mortem in ejus manibus ponerent, & cum eo sepelirent.* Ita *factum. Tertio post sepulturam die, apparet Synesio Evagrius, jubet ad tumulum accedere, & chirographum recipere, sibi enim aliunde satisfactum esse. Porrò in eadem illa chartâ, subscriptum recenter manu ipsius Philosophi sic erat* : Ego Evagrius Philosophus tibi sanctissimo Domino Synesio Episcopo salutem. Accepi debitum in his litteris manu tuâ conscriptum, satisfactumque mihi est: & nullum contra te habeo jus, propter aurum quod dedi tibi; & per te, Christo Deo & Salvatori nostro. *(a) Eandem illam fœnerandi artem amabat & exercebat Tiberius Imperator verè Christianus, inopum, ut de eo scribit S. Gregorius Turonensis, optimus defensor. Pio*

(a) *Ioan. Moschus Prat. spirit c.* 195. *Cedren. in Annal. Zonaræ tom.* 3. *fol. mihi* 123.

Imperatori, cum thesauros, quos Iustinus acervarat, in pauperes partiretur, Sophia Augusta Iustini vidua, non sine felle sæpius objecit, ea ratione rempublicam in pauperiem delabi, & quæ plurimis annis ipsa collegerat, exiguo tempore prodigè dispergi. Cui Tiberius voce & mente Christianâ: Nihil decedet fisco nostro, si pauperes eleemosynam recipiant, aut captivi redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino, Thesaurizate vobis in cœlo. Ergo quod dedit Deus, congregemus illic per pauperes, ut hîc nobis adaugeat Deus. *Et verò & in terris adauxit Deus, non simplici, eoq́ admirando eventu. Nam cùm per palatii conclavia inambularet, in pavimento tabulam vidit marmoream, cui crux insculpta. Hic ille secum,* O Christe, *inquit,* cruce tuâ frontem & pectus signamus, & ecce crucem pedibus calcamus. *Mox igitur tolli marmor imperavit. Sublatum est, sed aliud signo eodem insculpto repertum; & hoc sublato, etiam tertium. Quo pariter amoto, thesaurus ingens repertus est, qui ad plures nummorum aureorum myriadas perveniret. Pergit Tiberius & de hac auri summa, pau-*

peribus, imò Deo ipsi, fœnerari. Pergit & Deus Tiberio fœnus multiplex reddere. Narses Dux Italus militiæ domum sibi delegerat, in qua plurimum argenti aurique defoderat, paucissimis latebræ consciis, & his ipsis posteà è medio clàm sublatis, sene uno excepto, quem ad rem celandam adegerat jurejurando. Sed is, Narsete defuncto, captus Imperatoris Tiberii liberalitate, thesaurum indicavit: tantaque auri argentique vis reperta est, ut in abditis illis divitiis in aulam transportandis dies aliquot laboratum sit. Et his divinæ largitatis indiciis magis magisque copiosè Deo fœnerari ambivit piissimus Imperator, in pauperes & ipse largior. (b) *Accipe & alium egregium fœneratorem, Sanctum Elzearium, Ariani Comitem, virum ab animi corporisque innocentia homine majorem. Multa illi (cùm multùm polleret apud Carolum Calabriæ Ducem, absente Roberto patre, Neapolitani regni negotia gerentem) regia dona sæpiùs oblata sunt, multa facienda augendaque rei ansa est præbita; nec deerant qui dictitarent, pro labore & industria posse innoxiè, saltem honoris & gratiæ causâ,*

(b) *Greg. Turon. Histor. Franc. l. 5. c. 19. Paul. Diacon. de Gestis Roman. l. 8.*

muneris aliquid accipi. At ille, formato ad sapientiæ Christianæ leges animo, nihil unquam admisit, rectè, ut Christianum Principem & Dei Philosophum addecet, sic elocutus : Istam animi facilitatem in admittendis muneribus, scopulum esse tam accipienti, quàm ipsis inspicientibus. Etenim cui modestum esset initio cor, & pudica manus, captum tandem auri fulgore & illecebris, desiderare, attrahere, corradere: reis autem, quid mentis & animi esse poßit in ejusmodi judicio, ubi tantùm aureis testibus rem agi aut promoveri videant. Quare animo & manu castis Elzearius cùm à negotio se domum reciperet ad instaurandam sibi solitam pietatem, quandoque dicere auditus est : Tu mihi, Domine Deus, in Paradiso debes centum auri uncias, & duo panni coccinei volumina; ea mihi in cœlo redhibe. *Percunctanti autem Alasiæ Moniali, quæ dictò fortè supervenerat, quid sibi de hac postulatione vellet? Respondit ingenuè, aurum & purpuram se hodie, cùm habere potuerit, amore Christi rejecisse.* (c) *Nec solùm singulari illâ abstinentiâ fœnerabatur Domino Elzearius, sed insigni etiam in egenos atque*

(c) *Vita cap. 27. apud Sur. 27. Septemb.*

inprimis leprosos homines liberalitate : illos opibus, illos mensâ suâ, minister ipse, cibisq; à Dalphina conjuge pariter virgine sedulò paratis, recreabat, dignabatur osculo, donabat sanitate, cœlo interim prodigiis plaudente, & granarium jam exhaustum bis occultâ vi frugibus copiosis replente. (d) *Verissimè igitur pronuntiavit Gregorius ille doctrinâ magnus, liberalitate adversus egenos maximus, & ob illam à Deo ad supremum dignitatis apicem evectus, teste ipso Angelo, qui specie naufragi ab illo adhuc Abbate tertiùm stipem acceperat;* (e) *verissimè, inquam, edixit :* Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum : quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur. (f) *Et Basilius itidem in pauperes liberalis:* Benefactorum gratiæ, in dantes revertuntur. Dedisti esurienti? tibi consuluisti. Quod dedisti, ad te cum auctario revertetur. Quemadmodum enim frumentum in terram cadens, lucrum projicienti parit : sic & panis in esurientem projectus, multam in poste-

(d) *Ibid. c.* 21. (e) *Ioan. Diacon. in vita Greg. l.* 2. *c.* 23. (f) *Greg. l.* 8. *epist. c.* 20.

rum tibi reddet utilitatem. (g) Constans *ergo* esto, Christiane, largitor: da quod accipias: sere quod metas: sparge quod colligas. Noli metuere dispendium, noli de dubio suspirare proventu. Substantia tua cùm benè erogatur, augetur: & concupiscere justum misericordiæ lucrum, æterni quæstus est sectari commercium. Munerator tuus vult te esse munificum; & qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens: Date, & dabitur vobis. (Luc. 6.) Amplectenda est tibi promissionis istius gratulanda conditio. Quamvis enim non habeas, nisi quod acceperis; non potes tamen non habere quod dederis. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potiùs sanctum fœnus exerceat, & hac usurarum arte ditescat, ut illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit: Date, & dabitur vobis..... Qui & idoneus fidejussor est pauperum, & largissimus redditor usurarum. (*h*) *Noverat & hoc præclarè (neque enim pos-*

(g) *Basil. hom. 6. in ditescentes.*
(h) *Leo de jejunio X. mensis serm. 6.*

ſum Heroïnæ Chriſtianæ auguſtum facinus & ſenſum non tibi exhibere, mi Lector) noverat, inquam, fœnerationem Chriſtianam Placillæ Theodoſii Imperatoris conjux: de qua ſic Nicephorus Calliſtus: (i) Quantò illa majora à Deo beneficia acceperat, tantò etiam quotidie charitatem in benefactorem ſuum adaugebat magis, Itaque eorum qui variis detinerentur morbis, & membris partibuſque corporis mutilati eſſent, omnis generis curam geſſit, ipſa per ſeipſam, in rebus omnibus, eis inſerviens. In illorum enim domicilia ventitabat, & qua quiſque indigeret re, eam illi ſuppeditabat, Et Eccleſiarum hoſpitales domos circumiens, eos qui gravibus morbis lecto affixi erant, curavit. Non enim tantùm illorum attingebat ollas, & juſcula delibabat: ſed & patellas admovebat, panem apponebat, ciborum fruſta afferebat, pocula eluebat, aliaque omnia promptè & feliciter obibat, quæ ſervarum & ancillarum ſunt officia. Ad eos verò, qui miniſterium ejus, quod per manus ipſa ſuas peragebat,

(i) *lib.* 12. *c.* 42.

inhibere conabantur, dicere solita erat: Imperio quidem convenit, ut aurum id largiatur. Ego verò manuum mearum opus, pro Imperio ipso, ei qui id semel contulit, offero. *Suspicis hæc, non dubito, mi Christiane, imitare; quæ à Deo accepisti, Deo redde, multiplici fœnore recepturus.* Nullum hic damnum est, sed compendium. Minimum datis, multum recipietis. In terra datis, & id vobis solvetur in cœlo ... Date otiosam pecuniam, & recipietis fructuosam gratiam; & pauperum subvenietis necessitatibus, & vobis custodiæ sollicitudo minuetur. Non peribit, quod pauper acceperit; & vobis, quod dederitis inopi, sine custode servabitur. (k)

(k) *Ambr. de Tobia c.* 16.





CONSIDERATIO XVIII.

ARS QVÆSTVOSISSIMA.

I. DA Altiſſimo ſecundùm datum ejus, & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum. Quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi; *Syrus* : & millia millium ipſe reddet tibi. (*a*) Anima quæ benedicit, impinguabitur. (*b*) Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur. (*c*) Benedictio *autem* Domini ditiores facit, nec ſociabitur eis afflictio. (*d*) Qui dat pauperi, non indigebit : qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit penuriam. (*e*) *Quas veriſſimas, & à Spiritu Dei ſibi dictatas gnomas, confirmat Sapiens & aliâ, quæ ab experimento petitur* : Alii dividunt propria, & ditiores fiunt : alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.

(a) *Eccli.* 35. (b) *Prov.* 11. (c) *Prov.* 22. (d) *Prov.* 10. (e) *Prov.* 28.

(*f*) *Hoc ipsum docet Apostolus scribens Corinthiis de eleemosyna, alacri & liberali animò faciendâ* : Hoc autem dico : Qui parcè seminat, parcè & metet : & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. (*g*) *Vbi Chrysostomus* : Non dixit, tenuiter, sed celebriùs, parci nomine posito : & rem semen vocavit, ut statim ad retributionem spectes, messisque recorderis, & discas quòd plura accipis, quàm das. Ideò non dixit, qui dat, sed, qui seminat : & non dixit, vos si seminaveritis, sed generalem sermonem facit : neque dixit, largiter, sed, in benedictionibus ; quod illo multò majus est. *Vnde subdit Apostolus* : Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis; *& iterum* : Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum præstabit, & multiplicabit semen vestrum. Quemadmodum enim (*ait S. Basilius*) semen terræ mandatum, lucrum ei parit, qui illud mandavit : sic etiam panis, qui homini esurienti largitur, magnam utilitatem

(f) *Prov.* 11. (g) 2. *Cor.* 9.

in posterùm adfert. (*h*) *Quare Isaias*, *Dei monitu*, *inclamat*: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adsum ... Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam; & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ. (*i*) Qui enim dando, divinæ gratiæ confidunt, puteos imitantur, qui continuò exhausti, minimè deficiunt, sed duplò copiosiores existunt. (*k*) *Quocirca iterum Sapiens*: Mitte panem tuum super transeuntes

(h) *Basil. orat.* 13. *de eleemos.* (i) *Isai.* 58.
(k) *Basil. hom.* 8. *in divites. & orat.* 14. *de divitiis.*

euntes aquas : quia post multa tempora invenies illum. (*l*) *Ubi Hieronymus* : Ad eleëmosynam cohortatur, quòd omni petenti sit dandum, & indiscretè faciendum benè. Quomodo enim qui super irrigua seminat, fructum sementis expectat, ita qui largitur egentibus, non granum seminis, sed ipsum panem serit, fœnore quodam multiplicationem illius præstolans, &, cùm dies judicii advenerit, multò amplius quàm dederat, recepturus. (*m*) *Istam ditescendi artem proponit sæpissimè ac veluti maximè utilem necessariámque commendat Christus ipse, vitæ & salutis Magister.* Date, & dabitur vobis: mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum. (*n*) Et ego dico vobis : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. (*o*) Da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. (*p*) Cùm facis convivium, voca pauperes : &

O

(l) *Eccle.* 11. (m) *Hieron. in illud Eccle.* (n) *Luc.* 6. (o) *Luc.* 18. (p) *Matth.* 19.

beatus eris : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. (*q*) Vendite quæ possidetis, & date eleëmosynam. Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis. (*r*) *Ubi S. Petrus Chrysologus:* Homo, tali monitu Christus te ditare voluit, non nudare : manere tibi tua voluit, non perire : perpetuari, non vacuari sacculos, imperavit : jussit te transferre, non perdere. (*s*) *Et iterum:* Videtis, quia Pater iste ditare vult filios, non nudare. Novo modo, imò cœlesti modo, qui hunc audit, vendendo comparat, recondit erogando : dum amittit, acquirit. (*t*) Tibi igitur proficit, quidquid inopi contuleris : tibi crescit, quod in pauperes erogaveris ... Seminatur in terra, germinat in cœlo. Plantatur in paupere, apud Deum pullulat. (*u*) Plus ille tibi confert, cùm sit debitor salutis. Si nudum vestias, teipsum induis justitiam. Si peregrinum sub tectum inducas tuum, si suscipias egen-

[q] *Luc.* 14. [r] *Luc.* 12. (s) *Chrysol. serm.* 22. (t) *Idem serm.* 25. (u) *Ambr. de Nabuthe c.* 12.

tem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Non mediocris ista gratia. Corporalia seminas, & recipis spiritualia. (x) *Quamobrem artis illius quæstuosissimæ facundissimus Ecclesiastes Chrysostomus*: Sæpenumerò dixi, eleëmosynam, non accipientium, sed potiùs dantium gratiâ, introductam esse. Nam illi sunt, qui potissimùm inde lucrantur. (y) Ditior enim fit vir misericors posteaquàm minus habere incipit pauperibus largiendo. Beata igitur est eleëmosyna, quæ & accipientem reficit, & lætificat erogantem ... quia per nummulos paucos, æternos thesauros sibi cœlestes acquirit. (aa) Tunc non deficiunt thesauri in cœlo, cùm deficiunt in terra. Sterile sanè metallum est: at germinat, si non colatur. Reliqua semina humi defodiuntur, ut pullulent: aurum, si defoderis, perit; si egeras, illud profliges, astris rigatum erumpit in spicam. Nimirum non sterile aurum est; sed solum glebasque

(x) *Ambr. l. 1. Offic. c. 11.* (y) *Chrysost. in ep. ad Philip. hom. 15.* (aa) *Ambr. serm. 39.*

dedignatum, inter ſidera floret, Deique conſpectum pro ſole habet. (*bb*) *Igitur* benefac juſto, & invenies retributionem magnam: & ſi non ab ipſo, certè à Domino; (*cc*) qui dives eſt in miſericordia. (*dd*)

II. Eia, Chariſſimi, oſtendamus, qualiter eſt omnium artium quæſtuoſiſſima eleëmoſyna. Si enim artis eſt proprium, ad aliquam utilitatem pervenire, eleemoſynâ verò nihil eſt utilius: clarum eſt profectò, quòd & ars, & omnium eſt artium optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neque veſtimenta contexit, nec has luteas domos ædificat; verùm & æternam miniſtrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in utràque vitâ claros exhibet, & manſiones ædificat in cœlis, & æterna parat tabernacula. Hæc lampades noſtras non ſinit extingui, nec ſordidis indutos veſtibus in nuptiis videri: ſed lavat, & nive mundiores reddit. Si namque fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur. (*Iſai.* 1.) Non ſinit nos eò

(bb) *R. P. Oliva Stremat. l.* 13. *ex c.* 12. *Lucæ v.* 33. (cc) *Eccli.* 12. (dd) *Epheſ.* 2.

decidere, ubi dives ille: nec audire verba tremenda, sed in Abrahæ sinus deducit. Et artium quidem sæcularium unaquæque unum habet quod accepit, meritum.... Et artium quæque alterius indiget artis. Cùm autem oporteat misereri, nihil aliud nobis opus est, sed sola voluntas est necessaria. Quòd si dicas, quòd pecuniis opus est, & habitationibus, & vestimentis, & calceamentis: illa lege Christi verba, quæ de vidua dixit (*Luc.* 21.) & ab angustia desiste; licet valdè sis pauper, & mendicantibus pauperior, si duo minuta contuleris, totum explesti: &, si des panem, eum habens solum, ad perfectionem artis venisti. Hanc itaque suscipiamus artem & scientiam, & obeamus. Melius enim est hanc scire, quàm esse regem, & diademate coronari..... Hæc itaque cogitantes, & nosipsos, & filios, & necessarios, in eleëmosynæ disciplinam ducamus. Et hoc super omnia discat homo (*notetur, obsecro*) quoniam & hoc est homo. Magnum & pretiosum, vir misericors. Itaque nisi hoc habeat, esse desiit homo. Hoc sa-

pientes præstat. Et quid admiraris, si hoc est Deus, & hoc homo? Ait enim: Estote misericordes, sicut Pater vester. (*Luc.6.*) Discamus itaque misericordes esse omnium causâ, maximè quoniam & nos multæ indigemus misericordiæ; & neque vivere putemus per id temporis, quo non misereamur. (*a*) *Hactenus Chrysostomus, qui totus est in commendanda ista arte, secutus communem vitæ æternæ Magistrum, cujus etiam* verbi oportere *nos* meminisse *Apostolus monet*: quoniam ipse dixit, Beatius est magis dare quàm accipere. (*b*) *Imò in hac liberali & mirabili arte, (quæ, ut iterum loquitur Chrysostomus, (c)* in cœlis habet officinam, & non hominem, sed Deum magistrum possidet) *qui dat, accipit; qui non dat, amittit. Audi Chrysologum*: Homo, dando pauperi, das tibi: quia quod pauperi non dederis, habebit alter. Tu, solum, quod pauperi dederis, hoc habebis. (*d*) *Et Isidorus Hispalensis*: Terrena omnia, *inquit*, servando amittimus, largiendo servamus. Patrimonium enim retentum pe-

(a) *Chrysost. hom.* 33. *ad Pop.* & 53. *in Matth.* (b) *Act.* 20. (c) *hom. illa* 53. (d) *Chrysol. serm* 41.

rit, manet autem erogatum. (e) *Leo verò magnus*: In omni hoc opere illa intervenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat. Securus & hilaris sit eleëmosynæ distributor: quia tunc maximum lucrum habebit, quando sibi minimum reservaverit. (f) Contemnamus itaque pecunias. Si enim eas hîc custodimus, eas omninò perdemus & hîc & illìc. Si verò multa cum largitate dispensamus, multam in utraque vita felicitatem assequemur. Qui vult itaque dives fieri, fiat pauper, ut dives evadat: expendat, ut colligat; dispergat, ut congreget. (g) Fructus divitiarum est largitas eleëmosynarum: sine illa infructuosæ sunt & periculosæ. Ecclesiastes 5. Divitiæ conservatæ in malum Domini sui cedent. Semen accumulatum putrescit: seminatum fructificat. (h) Hîc seminatur, ut ibi (in terra viventium) metatur, si tamen seminatur. Quis est enim qui se-

O 4

(e) *Isid. Hispal. l.* 3. *sentent.* 44 (f) *Leo de Quadrages. serm.* 10. (g) *Chrysost. hom.* 53. *ad Pop.* (h) *Bonavent. De profectu Religios. l.* 1. *cap.* 34.

minat hîc, ut ibi metat? qui erogat pauperibus. Erogatio pauperibus, semen est in terra. Seminas hîc, & ibi invenies messem. (*i*) Qui non seminat, otiosis manibus alios metentes spectat.... Quando autem potest fieri, ut horrea sua vacua respiciat, qui semina multiplicato jugiter sulco terræ commiserit? Quid tibi prodest congestis incubare divitiis, si de his nullum fructum capias? .... Hoc solum sibi homo reponit, quidquid causâ miserationis expenderit. (*k*)

III. Consilium do lucrorum: disce mercari. Laudas enim mercatorem, qui vendit plumbum, & acquirit aurum; & non laudas mercatorem, qui erogat pecuniam, & acquirit justitiam? (*a*) Si dederis homini pecuniam tuam in fœnus, centesimam recipis; si verò pauperibus, secundùm divina mandata centuplum consequeris: quòd si hoc parum videtur, & vita tibi cumulatur æterna. (*b*) *Habe hîc ex innumeris aliqua divinæ illius etiam in terris*

(i) *August. serm.* 12. è 40. *novis.* (k) *Valerian. Episc. hom.* 8.

(a) *Aug. de verb. Dom. serm.* 5. (b) *Petr. Damian. opusc. de Eleëmos. c.* 2.

remunerationis exempla; de cœlesti mercede, dabimus consideratione 20. *Vidua Sarephtana* (*id est, ardens, charitate scilicet*) *de farinula, quæ sibi & filio in summâ penuriâ & mortis periculo reliqua erat, esurienti & roganti Eliæ facit primùm subcinericium panem & offert*: & ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non est imminutus, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ; *imò mortuus non multò pòst filius, precibus ejusdem Prophetæ vivus piæ matri redditus est.* (*c*) *Istius viduæ charitatem admirans S. Hieronymus, sic ad Furiam viduam nobilem scribit*: Recordemur viduæ Sarephtanæ, quæ & suæ & filiorum saluti, Eliæ prætulit famem: ut in ipsa nocte moritura cum filio, superstitem hospitem relinqueret, malens vitam perdere quàm eleëmosynam: & in pugillo farinæ, seminarium sibi messis præparavit. Farina seritur, & olei capsaces (*vas olearium*) nascitur. In Judæa frumenti est inopia: granum enim tritici ibi mortuum fuerat; & in gentium vidua olei fluenta manabant. (*d*)

O 5

[c] 3. *Reg.* 17. [d] *Hieron. ep. ad Furiam.*

S. Ioanni Patriarchæ Alexandrino profusissima in egenos liberalitas; nobile Eleëmonis, id est, Misericordis, vel Eleemosynarii nomen & perennem quæstum peperit; digno sanè, cui etiamnum adolescenti ipsa Misericordia divinæ species sese offerret & addiceret benevolam, ac deinde morienti aßisteret deductura cum innumera pauperum, quos aluërat, turbâ, ad æternum eleëmosynæ remuneratorem. Ejus tam vastus erat animus, tanta in Deum fiducia, ut diceret: Etsi totus orbis Alexandriam veniret, non arctaret nostram liberalitatem & opes; *frequentérque dictitaret:* Quò plura erogo in pauperes, eò plura semper & majora à Deo recipio. *Quare misericordis illius viri industria omnes lætitiaq; in exquirendis erant juvandisque egenis; tum demum felicißimi, cùm plurimos recreasset; tristißimi, si fortè non accurrissent, quos dominos suos vocitabat, inopes. Hinc quadam die, cùm ex more se publico commisisset, & horas aliquot persedisset, si quis afflictorum suppetias imploraret, ubi nemo quidquam petiit, mæstus plenusq; lacrymis recesßit; tristitiæ causam à Sophronio rogatus, respondit:* Hodie miserandus Joannes

non ab aliquo ullam accepit mercedem, neque ullum vel minimum piaculum potuit offerre Christo pro multis & magnis suis delictis. (e) *Quid hoc minus illo Titi Imperatoris,* Diem perdidi; *sive, ut effert Simeon Metaphrastes,* Hodie non regnavimus, quia neminem beneficio affecimus? (*f*) *Quam effusißimè exercebat Ioannes liberalitatem, eandem & aliis vehementer commendabat. Viderat pauperi stipem petenti, à Zacharia diacono discipulo suo, cùm aliud ad manus non esset, cruculam dari argenteam. Fa[illegible]n mirificè placuit Ioanni, & mox ad Diaconum:* Zacharia, *inquit*, esto misericors, & nec in vita, nec in morte, deerit Deus. *Monitum & exemplum liberalißimi magistri diligenter secutus est Zacharias; mirè siquidem in egenos liberalis, & vicißim à Deo liberalißimè habitus, Deum piè provocasse scribitur: nam insigni animi exultatione non semel inventus est ita cum Deo colloquens:* Si sic, aut tu mittendo, aut ego dispergendo; videbimus verò quis vincat. (*g*) *Simili modo certavit aliquando cum divite Alexandrino ipsemet Ioannes.* Cùm

(e) *Leontius & Metaphrastes in vita.* (f) *Sueton. in Tito c.* 8. (g) *Leont. in vita S. Ioan. c.* 1.

enim dives ille Ioanni vestem, seu, ut alii scribunt, lecti operculum, misisset; Ioannes ad forum venum misit, ut pretium pauperibus daret. Emit is qui donarat, & iterum Ioanni mittit. Hic rursum ad forum mittit; alter rursum emit, & Ioanni remittit, idque cùm tertiò fecisset, dicit ei gratulabundus vir sanctus : Videbimus quis deficiet, ego an tu. (*h*) *Ecdicius, vir Senatorii ordinis, Sidonii Episcopi cognatus, Burgundiones anno* 475. *dirâ fame depascente, in conquirendos & alendos egenos admodum liberalis, vocem è cœlo sic compellantem audivit :* Ecdici, Ecdici, quia fecisti rem hanc, tibi & posteris tuis non deerit panis in sempiternum; eò quòd obedieris verbis meis, & famem meam refectione pauperum satiaveris. (*i*) *S. Masymas, aliis Mausimas, Sacerdos in Syria, erga hospites & pauperes profusè largus, ex duplici dolio, velut ex cornu-copiæ inexhausto, frumentum & oleum multiplicatum jugiter hauriebat.* (*k*) *S. Myro, Episcopus posteà Cretæ Thaumaturgus, ante Sacerdotium ductâ uxore terram colebat, frugesque labore partas in pau-*

(h) *Ibid. c. 6.* (i) *Greg. Turon. Hist. Franc. l. 2. c. 24 Baron. to. 6.* (k) *Theodoret. in Theophil. seu histor. relig. c. 14. Bolland. 23. Ian.*

peres tribuebat, copiâ dein frumenti tantò magis auctâ semper & cumulatâ, quantò plura ille largiebatur. (l) *S. Bonifacius Ferentinæ civitatis Episcopus (ut narrat Gregorius Pontifex (m) vir & paupertatis & pauperum singulariter amans, unâ unicâ vineâ, quam in omne stipendium habebat, grandine fœdè vastatâ, mandavit nihilominus Constantino Presbytero nepoti suo, ut cuncta vasa, pro more appararet. Factum, ut imperarat. Tum Bonifacius ex paucissimis, qui remanserant, racemis, perparum liquoris tandem expressum in singula vasa distribuit, jussitque illicò pauperes adesse cum vasculis. Mira res! Cœpit vinum ita excrescere, ut & vasa omnia largissimè expleret, solumq; omne inundaret. Ille idem Bonifacius, eodem Gregorio referente, adhuc puerulus ita in pauperes ferebatur, ut vestes omnes eis elargiri soleret, omnémque annonam, quam mater in annum collegerat, in eos exhauserit. Quâ re vehementer commotâ matre, ipse in preces se dedit, & horreum totum copiosiori frumento replevit.* Quo viso miraculo compuncta mater, jam ipsa cœpit hortari ut daret, qui sic celeriter posset,

(l) *Rader. viridar. p. 1.* (m) *Lib. 1. Dialog. c. 9*

quæ petiisset, accipere. (*n*) *Simile quid lego de Tychone, posteà Amathuntino in Cypro Episcopo.* Hic admodum puer à patre panes acceperat (nam artopola erat) quos in foro venderet. Sed puer omnes, in egentes distribuit. Quod ubi pater rescivit, indignam rem arbitratus, gravibus puerum convitiis est insectatus; qui dixit, se Deo panes dedisse mutuos, & mox recepturum, ejusque rei se syngrapham habere. Et ecce dictum factum: granaria mox frumento pleniora sunt reperta, quàm erant cùm pater post collectam messem implerat, nec inde quidquam adhuc esset depromptum. (*o*) *Episcopus alius, siti vehementi cruciatus, quod pauxillum reliqui vini sibi offerebatur, mendico siti pariter valdè laboranti dari imperat; & cùm vel guttulam saltem in vase exquiri jubet, vas, quod vacuum reliquerat pincerna, vino plenum, non sine ingenti admiratione, invenit.* (*p*) *Sorores duæ germanæ Neapoli, monitæ à S. Antonino, ut pro pauperculis & piis quibusdam hospitibus, ex farina oleóque placentulas para-*

(n) *Greg. ibid.* (o) *Rader. Viridar. Sanct. part.* 1. (p) *Petr. Dam. l.* 1. *ep.* 10.

rent melle illitas; excusatâ paupertate, cùm dolerent, in vasis tantum olei & mellis non esse, quod eis parandis sufficeret: bono esse animo jubentur, spondente sancto Præsule, fore, ut haberent satis etiam in annos plures consequentes. Manum igitur labori admovent, & statim oleum in lecytho, mel in doliolo succrevit, arcanâ scilicet perennitate, ut ad integrum septennium haurire inde in usus domesticos potuerint. (q) *Sancta Catharina Senensis & ipsa in pauperes benefica, ex putidâ farinâ, eâque permodicâ, plures & oppidò sapidos panes confecit in gratiam pauperum, ipsâ Deiparâ, Superis & Angelis adstantibus, collaborante, Deoq; farinam augente & corrigente.* (r) *Francisca Romana, natalibus & moribus sanctissimis notissima, in egenos incredibiliter liberalis, generosi vini dolium, serio soceri jussu servari præceptum, pauperum & ægrotorum miseria, exhauserat largiendo; ut soceri & Laurentii conjugis excandescentiam sopiret, precibus idem dolium optimo vino plenum à Deo impetravit. Vendiderat Laurentius frumenti plurimum;*


(q) *Vincent. Mainard. Henschen.* 2. *Maii in Analectis ad vitam pag.* 343. *col.* 1. (r) *Sur. in vita* 30. *April. pag. mihi* 1057.

Alioquin, aiebat, prodiga mea uxor hoc ambabus manibus in mendicabula effundet. Francisca, sui instituti tenax & sedula, granarium ascendit, residuas frumenti sordes converrit, ventilat: vix farris semodius erat. Id quantumcumque statim in egenos tribuit. Cùm verò granarium denuò conspectum est, purgatissimi frumenti penè quadraginta modii sunt inventi. (s) *Ita eleëmosyna non solùm non depauperat, sed ditat & beat.* B. *Guilielmus Zucchius Italus, in egenos mirè largus, crumenam semper habebat ad manum, quam in inopes effunderet: Hac, ingestâ semel pecuniâ, eâque identidem erogatâ, divinâ semper sponte redundabat, nunquam exhauriri visa. Inde in vulgus abiit proverbium istud:* Méne beati Guilielmi crumenam, quæ non exhauritur, putas habere? (t) *Idem de S. Lidwina referunt historici;* (u) *cujus crumena, Domini IESV est appellata. Crevit & miraculo pecunia in loculis & manibus Adriani II.,* (x) *S. Goswini Aquicinctensis Abbatis dum iret ad Concilium Rhemense,* (y) *S. Philippi Nerii,*

(s) *Andr. Vallader. Iul. Vrsin. &c. in ejus vita.*
(t) *Bolland.* 10. *Febr.* (u) *Lippeloo & Haræus* 14. *April.* (x) *Platina in ejus vita.* (y) *Guil. Gazet histor. Eccles. Belgii pag.* 158.

S. Aldegundis Antistita Malbodiensis, (z) *& aliorum, ut, compendii causâ, meritò hîc apponi possint verba, quæ ad istius de S. Philippo testimonii finem subscripsit Robertus Cardinalis Bellarminus* : Res est nota, Pecuniam iis deesse nunquam, qui eam in subsidia pauperum distribuunt. *Et illa S. Gregorii Nazianzeni:* (*aa*) Deus muneribus nostris vinci non potest.

(z) *Sur.* 13. *Novemb. vitæ cap.* 9.
(aa) *Orat.* 16.



CONSIDERATIO XIX.

OPES BENE CVSTODITÆ.

I. CONclude eleëmosynam in corde (in sinu) pauperis. (*a*) *Thesaurus est eleëmosyna; ut tutò ponatur, & servetur, concludendus & abscondendus est: unde Optatus Milevitanus* (*b*) *legit*, Absconde panem in corde pauperis. *Et ita fieri vult ipse, qui vult ejus*

(a) *Eccli.* 29. (b) *Lib.* 3. *contra Donatist.*

thesauri custos esse, & redditor fidelissimus, Christus Dominus. Audi illum : Cùm facis eleëmosynam, noli tubâ canere ante te. (*c*) *Hoc enim esset* misericordiam vendere, non donare : (*d*) *esset vanæ ostentationi, inani gloriæ, tartareis prædonibus diripiendam offerre.* Sit eleëmosyna tua in abscondito. (*e*) Ergo, dicet aliquis, in conventu, in plateis, in triviis, neganda est misericordia? non præbendus est victus? Planè & in omni loco, & in omni tempore facienda est misericordia; præbendus est victus, nuditas est tegenda : sed sic, quomodo docuit misericordiæ author, ut misericordia non terræ sit nota, sed cœlo : non hominibus insinuata, sed Deo : in plateis, in triviis suum pietas habet secretum . . . misericordiam coram se solùm vult fieri, qui solius est misericordiæ & remunerator & testis, & qui dicit : Esurivi, & dedistis mihi manducare. (*Matt.* 25.) (*f*) *Ergo conclude eleëmosynam, thesaurum tuum absconde, in sinu, in corde, in ventre pauperum; & per hos, quos* latu-

(c) *Matth* 6. (d) *Chrysol. serm.* 9. (e) *Matth.* 6. (f) *Chrysol. sup.*

tarios noſtros *nuncupat magnus Auguſtinus*, (g) *ſoli Deo committe* : & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. (h) *Quo autem in loco, quo in pretio, erit iſte theſaurus tuus apud Dominum? Audi ex Siracide* : Eleëmoſyna viri quaſi ſignaculum (*ſeu*, ſigillum) cum ipſo (*in conſpectu Dei*) & gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit *ipſe Deus*. (i) Quaſi dicat, *ait Cornelius noſter* : (k) Sicut annulus ſignatorius in digito fertur, & eſt ante oculos hominis : ſic eleëmoſyna ſemper obverſatur oculis Dei; & gratiam hominis, id eſt, beneficium collatum in pauperem, conſervabit Deus quaſi pupillam oculi, id eſt, quaſi rem chariſſimam. *Secundùm Rabanum & alios, eleëmoſyna metonymicè vocatur* ſignaculum *vel* ſigillum, *hoc eſt, res ſignata & ſigillata (ut vertit Syrus) in mente Dei.* (l) *Ex quibus collige, ſi potes, quanti pretii meritíque ſit, quàm cordi Deo ac paternæ curæ, eleëmoſyna, dives ille & ſolus cœlo dignus theſaurus. Meritò igitur*

(g) *Serm.* 40. *inter novos.* (h) *Matth.* 6. (i) *Eccli.* 17. (k) *In Deuter. c.* 29. *v.* 12. (l) *Corn. à Lapide in illud. Eccli.*

canit Psaltes regius: Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperem. (*m*) Ille utique intelligit super egenum & pauperem, qui largitur pauperi. Nam quid prodest misereri inopis, nisi alimoniam eidem largiaris? (*n*) Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi. (*o*) Quod dicit, Dispersit, nihil aliud manifestat, quàm quòd cum liberalitate dedit. Nam quamvis hæc non maneant, manent tamen quæ ex illis nascuntur. Etenim mirabile est, quòd quæ custodiuntur, pereant; quæ autem disperguntur, manent, & manent semper. Justitiam autem hoc loco misericordiam vocavit. Etenim justos facit misericordia, peccata quasi ignis consumens, quando cum liberalitate effuderitis. (*p*) *Quapropter monens Christus, ubi opes nostras, thesauros nostros tutò collocare debeamus*, Date eleëmosynam, *inquit*; Facite vobis sacculos qui non veterascunt: thesaurum non deficientem in cœlis; quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. (*q*)

(m) *Ps.* 40. (n) *Ambr. in Ps.* 118. *serm.* 12. *n.* 7. (o) *Ps* 111. (p) *Chrysost. in* 2. *Cor. hom.* 19. (q) *Luc.* 12.

Hoc eſt dicere, Ubi ego ſum, ibi ponite: Date mihi, ego ſervo. Homo, da Patri, crede Deo: tenere tua non poteſt, qui ſua dedit. An humanis indiget, qui ſua largitur? an eſt noſtrorum cupidus, qui nos ſuorum fecit hæredes? Certè quibus regnum contulit, quid negabit? (r) Ubi theſaurus veſter eſt, ibi & cor veſtrum erit. (s) Homo, mitte, & præmitte theſaurum tuum in cœlos, ne cœleſtem animam demergas in terram. Aurum de profundo terræ, anima ab excelſis cœli. Melius proinde eſt ad ſedem animæ deferri aurum, quàm in ſepulchro auri anima demergatur. (t) Fac tibi ſacculos, quales ille præcepit, qui jam cupiditatis tuæ cuſtos eſt & proviſor; ſacculos qui non veteraſcunt: theſaurum non deficientem in cœlis. Iterum contriſtatus es, quia, quod habes, in cœlis cogeris collocare. Rogo, crede Deo tuo, qui ſervo credis: & magis Deo, quàm homini, commenda. Sed ſi times, ne quid inde præſumat, ne quid diſper-

(r) *Chryſol. ſerm.* 22. (s) *Luc.* 12.
(t) *Chryſol. ſup.*

gat pietas largitoris, signa fidei annulo sacculos tuos, ut tali custode dormias tu securus: quia ubi ille est, ibi locus nullus est furi. Non poterit tibi tuam pecuniam denegare, qui tibi omnia sua contulit, qui te regni sui & honore ditavit & gloriâ. (*u*) Habes multa bona in annos multos posita; potes & tibi & aliis abundare. Ostendo tibi, ubi meliùs tua frumenta custodias, ubi benè sepias, ubi fures ea tibi auferre non possint. Include ea in corde pauperum, ubi nulla tinea, nullus gurgulio consumat, nulla corrumpat vetustas. Habes apothecas, inopum sinus: habes apothecas, viduarum domos: habes apothecas, ora infantium orphanorum. Istæ sint tibi apothecæ, quæ maneant in æternum: ista sint tua horrea, quæ fœcunditas futura non destruat... Denique scriptum est: Seminate ad justitiam. (Osee 10.) Esto spiritalis agricola; sere quod tibi prosit. Bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus uberiores quàm acceperit, quantò magis misericordiæ remuneratio reddet

(u) *Chrysol. serm.* 23.

multipliciora quæ dederis? (x) Fœcundus est ager pauperum: citò reddit donantibus fructum. (y)

II. Thesaurum is benè recondit, qui indigentibus dividit: perdere enim jam non poterit, quod largiendo collocavit. (a) Proptereà te jussit Christus alteri ea (bona) dare, ut ea ipse retineas. Nam donec ipse solus ea detines, nec ipse quidem habes: cùm alteri verò dederis, tunc & ipse cepisti... Quemadmodum enim siquis argentum parvo dederit puerulo, & retinere propensiùs imperet, vellet servo dare custodiendum, ne volenti rapere liceat: itidem & Deus agit. Ait enim: Da indigenti, ne quis tibi rapiat, puta vel sycophanta, vel accusator, vel fur, vel novissimè mors. Nam donec ipse retines, non habes in tuto: si verò per pauperes mihi dederis, omnia tibi diligenter ipse servo, & in tempore congruo cum multa accessione restituam... Non credis quòd iterum recipies?.. Qui non danti dat, quomo-

(x) *Ambr. de Nabuthe c. 7.* (y) *Aug. de Verb. Dom. serm. 25.*
[a] *Eucher. parænet. ad Valerian.*

do non multò magis, postquàm acceperit, dabit? (*b*) Sollicitudini tuæ consulo. Hîc in terra si velles servare divitias tuas, quæreres horreum: non fortè crederes domui tuæ propter domesticos tuos; commendares ad vicum argentarium. Difficilis enim est ibi casus: fur non facilè accedit: benè omnia servantur. Quare ista cogitas, nisi quia non habes melius ubi serves? Quid si dabo melius? Dicam tibi. Noli commendare huic minùs idoneo: sed est quidam idoneus; illi commenda. Habet magna horrea, ubi perire non possint divitiæ: magnus super omnes divites dives est. Jam fortè dicturus es, Et quando audeo tali commendare? Quid si ipse te hortatur? Agnosce illum: non solùm pater-familias est, sed & Dominus tuus est. Nolo, inquit, serve meus, perdas peculium tuum, agnosce ubi ponas. Quare ibi ponis ubi possis amittere, ubi etsi non amittas, ibi permanere perpetuò non potes? Est alius locus, quò te transferam. Præcedat te quod habes; noli timere ne perdas. Dator ego

(b) *Chrysost. hom.* 53. *ad Pop.*

ego eram, custos ego ero. Dicit tibi hoc Dominus tuus. Fidem tuam interroga, vide si velis credere. (c) Si commendas servo tuo quod acquisivisti, & non perdis; perdes, si commendes Domino tuo quod accepisti ab ipso Domino tuo? (d) Jacet in domo thesaurus quietus: dominum quietum esse non sinit. Timetur latro, timetur effractor, timetur servus infidelis, timetur vicinus malus & potens: quantò plus tenetur, tantò plus timetur. Si autem erogas Deo in pauperes, non perdis, & securus efficeris: quia ipse Deus custodit tibi in cœlo, qui & tibi necessaria dat super terram. An fortè times, ne perdat Christus, quod illi commendaveris? Nónne dispensatorem unusquisque eligit de familia sua fidelem, cui committat pecuniam suam? qui etsi habet in potestate non auferre, non tamen habet in potestate non perdere. Quid fide Christi prolixius? quid omnipotentiâ divinius? Nec auferre tibi aliquid potest, nec aliquid perdere, quia universa omni-

P

(c) *August. in Ps.* 38. (d) *August. hom.* 13. *ex* 50.

potens tenet. (e) Da securus Deo: ipsi te commenda, qui tibi pecuniam in cœlo servet; quia ipse & te in terra quamdiu vivis, gubernat... An fortè fidelis est in custodiendo animam tuam, & infidelis in custodiendo pecuniam tuam? Servat tibi, qui servat & te... Pigritiam excute, consilium accipe. Da Christo esurienti, thesauriza in cœlo. Numquid labor est, in cœlo thesaurizare? Et si labor esset, faciendum erat ad ponendum pecuniam tuam in loco munito, unde nemo eam possit auferre. Cùm tamen dicit Christus, In cœlo thesauriza; non dicit tibi, scalas quære, machinas liga, pennas apta. Hoc dicit, Mihi in terra da, & tibi in cœlo servo. Ideò veni egere in terra, ut sis tu dives in cœlo. Fac trajectitium. Fortè times fraudatorem, ne perdas: & quæris qui portet, qui migret. Christus tibi in utroque adest. Non faciet imposturam; faciet insuper & laturam. (f) Numquid perdes, in thesaurario Christi ponens? Nam pueri, unde sibi emant

(e) *August. serm.* 19. *inter* 40. *novos.*
(f) *August. serm.* 32. *è* 40. *novis.*

nescio quid, simul inveniunt nummos, & ponunt in thesaurario, & non aperiunt nisi posteà: nunquid quia non vident quod colligunt, ideò perdiderunt? Noli timere. Ponunt pueri in thesaurario; & securi sunt: ponis in manu Christi, & times? (g) Manus pauperis, Abrahæ sinus est: ubi, quidquid pauper accipit, mox reponit. Thesaurus cœli est manus pauperis; quod suscipit in terra, ne pereat, reponit in cœlum. Manus pauperis est gazophylacium Christi: quia quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo, homo, pauperi terram, ut accipias cœlum. Da nummum, ut accipias regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut des tibi: quia quidquid pauperi dederis, tu habebis. (h) Nihil tibi perire vult, qui tua in thesauris cœlestibus vult reponi. Quàm securus dormit, qui Deum suorum meruit habere custodem! .... Præmittamus, Fratres, thesauros nostros in cœlum: sint vectores pauperes; qui possunt

(g) *Aug. in Ps.* 48. *conc.* 1. *ad v.* 11.
(h) *Chrysol. serm.* 8.

ſinu ſuo, quæ noſtra ſunt, ad ſuperna portare. Nemo de fraude dubitet bajulorum : tuta eſt iſta tranſvectio, per quam noſtra ad Deum, Deo fidejuſſore, portantur. (*i*) Vult Deus in paupere ſibi dari ; &, qui vult ſibi dari, vult, quod datum eſt, ſe debere ; &, qui vult ſe debere quod datum eſt, vult largientibus nil perire. . . . Ob hoc ad te venit tuus ditator in paupere, ut eum non dubites accepta reddere, qui tibi gratis dedit habere quod dares. (*k*) Eſt Chriſtus ſuſcipere paratus, & depoſita tibi ſervare ; nec tantùm ſervare, ſed etiam multiplicare, & cùm multo fœnore reddere. Ex illius manu nemo eripit. Non ſervat autem tantùm depoſita, ſed etiam ſecurum depoſitorem facit. In hominibus enim depoſita ſuſcipientes, gratiam ſe nobis præſtare putant, ſi cuſtodiunt quæ ſuſceperunt. In Chriſto autem contrarium. Non enim gratiam præſtitiſſe, ſed accepiſſe ſe dicit, cùm depoſita ſuſceperit tua : & pro ipſa cuſtodia, quam circa pecunias tuas ex-

(i) *Chryſol. ſerm.* 7.
(k) *Chryſol. ſerm.* 9.

hibet, non te mercedem repetit, sed ipse tibi dat mercedem. (*l*)

III. Quid Dominus noster JESUS Christus, Fratres, dixit diviti illi quærenti consilium de capessenda vita æterna? (*Matth.* 19.) quid enim dixit? Dixit ei, Perde quod habes? Placeret, si hoc diceret, Perde temporalia, ut acquiras æterna. Non ei tamen dixit, Perde quod habes. Videbat illum amatorem rerum suarum. Non ait, Perde; sed ait, Migra ubi non perdas. Amas thesauros tuos? amas pecuniam tuam? amas divitias tuas? amas prædia tua? Quidquid amas, in terra habes. Ibi habes quod amas, ubi perdas & pereas. Consilium do: Migra in cœlum. Hîc si habes, perdes quod habes, peribis cum eo quod perdis. Ibi autem si habes, non amisisti, sed sequêris quò misisti. Consilium ergo do: Da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. Non sine thesauro remanebis: sed quod habes in terra sollicitus, habebis in cœlo securus. Migra ergo. Consilium

(*l*) *Chrysost. hom.* 2. *ad Pop.*

do servandi, non perdendi. Habebis, inquit, thesaurum in cœlo, & veni, sequere me; & ducam te ad thesaurum tuum. Non est hoc dispendium, sed compendium. Evigilent homines, audiant vel experti quod timeant, aut faciant unde non timeant. Migrent in cœlum. Quale consilium est, frumentum reposuisse in terra? Consule amicum tuum, qui novit frumenti & terræ naturam. Imperitiam tuam docet dicens, Quid fecisti? Frumentum in terræ inferioribus posuisti. Humidus locus est; putrescet quod posuisti, perdes & laborem tuum. Quid ergo faciam? Migra in superiora. Audis amicum tuum, consilium dantem de frumento tuo; & contemnis Deum, consilium dantem de corde tuo? Frumentum tuum times ponere in terra, & cor tuum perdis in terra. Ecce Dominus Deus tuus, cùm dat tibi consilium de thesauro tuo, dat tibi & de corde tuo. Ubi enim, inquit, est thesaurus tuus, illic erit & cor tuum. (*Matth.* 6.) Leva, inquit, cor in cœlum, ne putrescat in terra. Consilium est ejus, qui te vult servare,

non perdere. (*a*) *Istud consilium probè intellexit, & reipsâ probavit vir ille, de quo sic S. Augustinus.* Quidam, quod revera dicitur accidisse, homo non dives, sed tamen etiam de tenui facultate pinguis adipe charitatis, cùm solidum, ut assolet, vendidisset centum folles, ex pretio solidi pauperibus jussit erogari. Factum est. Ibi ille hostis antiquus, id est, diabolus, egit ut pœniteret eum boni operis sui, & quod obediendo rectè fecerat, murmurando deleret. Immisit furem, & abstulit totum, unde pauperibus datum erat exiguum. Expectabat diabolus vocem blasphemantis, invenit laudantis. Expectabat fieri titubationem, invenit confirmationem. Hoc volebat quidem & inimicus, ut pœniteret; & pœnituit. Sed videte quid. Me, inquit, miserum, qui non totum dedi! Hoc enim perdidi, quod non dedi. Non enim ibi posui, quò fur non accedit. (*b*) *Effatum planè Christianum! Non ita locutus, non ita sapuit, at fatali dicto & facto, homo quidam de-*

(a) *Aug. serm.* 40 *inter novos. Vid. & in Ps.* 48, *conc.* 1, *ad v.*8. (b) *Aug. serm. illo* 40.

parcus, Iustiniano Imperatore. Rem sic narrat Cedrenus. Constantinopoli dives quidam cùm ægrotaret, mortemque timeret, triginta libras auri in pauperes erogavit. Restitutus autem, præter spem suam, bonæ valetudini, fraude diaboli eò est inductus, ut facti ejus ipsum pœniteret, hocque cuidam fideli ac diviti amico suo aperiret. Monet iste hominem, ne huic malæ assentiatur cogitationi, Deumque irritet, qui eum propter istam largitionem miseratus sanitate donaverit: alioqui fore, ut subita morte nondum mutato facto pereat. Cùm non moveretur ille, sed magis magisque queritaretur, Amicus, quando (inquit) salutare consilium non admittis, aliud tibi subjiciam. Poscenti hoc, verè misericors ille: Agedum, ait, in templum abi; &, non te, verùm me, illam in pauperes elargitum fuisse pecuniam dicito. Ipse tibi statim triginta illas libras reddam. Consentiens infelix ille, ad templum abiit, auroque accepto, ita uti alter præceperat, locutus est. Inde egrediens, ad ipsam templi portam mortuus conci-

dit. (*c*) Stulte, quæ parasti, *quæ servasti*, cujus erunt? (*d*) Homo, ergo ne servando perdas, collige prorogando: homo, dando pauperi, da tibi: quia quod tu alteri reliqueris, non habebis. (*e*) *Ita sibi malè providi Cœnobita quidam, dum invito Abbate, negatâ egenis consuetâ eleëmosynâ, annonam, sterili anno, soli suo monasterio servare volunt, amittunt totam, tritico omni in germen herbámque effuso.* (*f*) *Monasterium aliud ex hospitalitate & largis continuísque in pauperes largitionibus priùs benè ditatum, solâ tenacitate novi Abbatis depauperatum esse, asseruit, ægrè ac timidè à Ianitore ad hospitium & tenuem cœnulam admissus grandævus in speciem & canus vir, apertè Ianitori isti enuntians, quòd duo fratres inde expulsi essent, qui nisi revocarentur, nunquam ei monasterio futurum benè: illorum fratrum alteri nomen*, Date; *alteri*, Dabitur vobis. *Dixit, & sese oculis subduxit hospes. Ianitor rem Abbati ex ordine retulit. Resumpta est hospitalitas & in egenos liberalitas,*

P 5

(*c*) *Cedren.in Annal.Zonaræ to.3.pag. mihi* 123.
(d) *Luc.* 12. (e) *Chrysol. serm.* 43.
(f) *Ioan. Moschus prat. spirit, c.* 85.

& res familiaris mirificè augeri cœpta. (g) *Idem ferè narratur ab eodem scriptore Cæsario, de matrona quadam, quæ peregrinos Christi famulos liberali hospitio & gratuitâ mensâ accipiens, indéque divinâ largitate oppidò ditescens, ubi, ex vano timore, ne, si pergeret tantum sumptuum simili hospitalitate profundere, paupertatem incurreret, manum contraxit, sensit & sibi divinam manum subtrahi:* non enim (*verba sunt Historici*) in domo illâ frater Dabitur habitare poterat, de quâ germanus ejus Date, expulsus erat. *Ad se & ad pristinam liberalitatem rediit mulier, & Deus ad munificam remunerationem.* (h) *Proinde rectè ac lepidè, Ludovicus Bertrandus, ex illustri Prædicatorum familiâ, nuper in Sanctorum album relatus, dicere solitus erat:* (i) *In domibus religiosis quod egreditur & effunditur in egenos per portam Conventus, regreditur, atque refunditur per portam templi, & hoc quidem auctum in duplum: adde, & decuplum, & amplius.* Numquam *enim, ut scitè Nazianzenus*, Dei liberalitatem vinces, etiamsi omnia

(g) *Cæsarius Illustr. mirac. l. 4. c. 68.*
(h) *Cæsar. ibid c. 69.* (i) *in ejus vita.*

dederis, & teipsum adjeceris: nam hoc quoque ipsum accipere est, nempe Deo donari. (k) *Et Ambrosius:* Beneficium largientis, præbenti magis permanet, quam suscipienti: nam misericordia quidem ad indigentem pervenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. (l) *Diceres*, *ludere divinam providentiam.* Et verò ludit in orbe terrarum, *cujus* delitiæ, esse cum filiis hominum, (m) *at singulariter cum* viris misericordiæ, quorum permanent bona. (n) *Ita eruditè Clemens Alexandrinus* (o) *eleëmosynam comparat pilæ ludo, in quo eadem pila, quæ ad alterius manum datatim mittitur, viam relegens ad dexteram prioris redit; Deo vincente semper, homine nihil unquam perdente, imò nunquam non lucrante. Isto liberali ludo, pauper quidam paterfamilias cum unum, quem habebat nummum comparando tantillo edulio, mendico stipem petenti elargitur; cùm mensa assidet famem pane arido toleraturus, ab ignoto famulo festinè accurrente, viginti solidos linteo invo-*

(k) *Naz. orat.* 16. *de amore pauper.* (l) *Ambr. serm.* 81. (m) *Prov.* 8. (n) *Eccli.* 44. (o) *teste Drexelio Gazophyl. p.* 2. *c.* 4. *§.* 4.

lutos accipit, & dum hominem affari parat, ampliùs non videt. (p) Eodem *ludo civis* Romanus, *beneficâ in peregrinos ac pauperes liberalitate, imminutis (si tamen imminui verè possunt, quæ in sinus & manus pauperum deponuntur) rebus suis, jam senex, arcanâ voce iterum ac tertiùm noctu monitus, vineam suam cum hominis opulenti, qui nominabatur, vineâ permutat, ac cum liberis sæpiùs effossâ terrâ, tandem inter rudera vas marmoreum, quod balsamum & aliquot nobiliores gemmas continebat, eruit: quibus carè, pro merito, venditis, grandem pecuniam etiam liberis nepotibusq; colligit.* (q) Eundem *ludum* Ethnicus *vir Nisibenæ civitatis, à conjuge* Christianâ *edoctus, quinquaginta nummos, totum rei domesticæ censum, in manus pauperum, per quos accipere & cum fœnore reddere illa dixerat* Christianorum *Deum, deposuerat.* Exacto *trimestri, re valdè angustâ domi, nequedum conspecto ullo fœnore, sano iterum uxoris suasu, ad eum locum, ubi pauperibus erogaverat, redit; jacentem ad pedes monetam conspicit, lætus tollit, & piscem inde comparat mensæ pa-*

(p) *Petr. Dam. l. 1. ep. 10.*
(q) *Cantiprat. l. 2. Apum. c. 21. n. 2.*

randum ; inventum intra piscis viscera lapillum, pretii, uti & uxor, ignarus, defert ad argentarium, à quo tandem trecentos omninò nummos obtinet : quo quidem inexpectato lucro attonitus, se tam potenti tamq; munifico Deo addixit, Christiana sacra sectatus. (r) *Hæc aliáque quotidiana divinæ beneficentiæ documenta luce clariùs demonstrant, quàm tutò providéque in corde sinúque pauperum, ac per eos, in manibus Christi concludantur augescantq; dispersæ opes, vel in hac mortali vitâ : nam de æternâ dicetur consideratione sequenti. Quare caveant summoperè œconomi, aliique eleëmosynarum ministri, ne beneficentiam dominorum quasi liberaliorem contrahentes, dum pauperibus, citra imò contra donantium mentem, illiberali parsimoniâ aliquid subtrahunt, istâ suâ noxiâ tenacitate, quorum rem servandam augendamq; stultè putabant, eandem graviter imminuant ; uti non rarò evenisse legimus. Mandarat magnus ille eleëmosynarius Ioannes Logotheta & OEconomo, ut civi à furibus depauperato quindecim darent auri libras. Dedère solùm quinque. Eodem die opulenta vidua Ioanni ad Ecclesiæ usum*

(r) *Io. Moschus Prat. spirit. c.* 185.

donat, submisso chirographo, quinque auri centumpondia. Accersita matrona, & rogata à Ioanne divinitùs edocto, an tantùm quinque dare voluisset: ingenuè respondit, se quidem quindecim dare voluisse, & tantundem in charta pridie scripsisse; at sequenti manè, dum chartam relegit, decem deleta reperisse, atque divina id esse voluntatis arbitratam, non ultra quinque mittere. Dimissâ matronâ, apertissimè convictos mendacii, & damni illius sordidâ suâ avaritiâ reos graviter arguit pius Antistes. (s) Ita malè providus Diaconus, à Germano Antisiodorensi Episcopo magnæ sanctitatis & in egenos beneficentiæ, jussus, qui reliqui omninò erant, aureos tres dare mendicis stipem in itinere rogantibus, unum retinet. Paululò pòst, equites à Leporio viro ditissimo missi, offerunt ducentos aureos, & unà Dominum suum Præsuli commendant. Hic enimverò Præsul seriâ fronte Diaconum compellans, Scito, ait, quòd & pauperes deceperis, & nobis centenos aureos ademeris. Nam, si mendicis, uti jusseram, tres aureos dedisses, liberalissimus remunerator Deus nunc trecentos misisset. (t) S. Marcellus Abbas, mirè in egenos,

(s) Leontius in vita c. 10. apud Rosweydum.
[t] Sur. 31. Iulii vitæ l. 2. c. 11.

non sine prodigiis, liberalis, jusserat, tribus Episcopis è captivitate redeuntibus, quidquid auri domi superesset, dari. Oeconomus fatuè prudens, è decem stateribus dedit novem, retento uno in usus alios. Paulò *post ad Marcellum venit, qui nonaginta talenta dono tulit. Accepit ea vir sanctus; & gratias egit. Mox accitum œconomum acriter objurgans: Ecce, inquit, ô parce, quis sit exitus tuæ parsimoniæ. Effecisti enim, ut totis decem talentis minor esset, quàm erat futura, donatio.* (u) Ex his *aliisque verißimum esse deprehendis atque identidem meditandum antiquum illud trochaïcum:*

Hoc homo sibi reponit, pauperi
quod erogat;

& illud, quod inter selecta epitaphia velut singulare probatur:

Habeo quod dedi,
Perdidi quod servavi.

Vnde & sapientiâ & beneficentiâ laudatissimus ille Aragonum Rex Alphonsus, cùm quispiam familiariùs quæreret, quid servaret sibi, qui tam multa multis donaret? Ea ipsa, *respondit,* quæ dono. (x) Quare, non qui habet & servat, sed qui im-

(u) *Sur.29.Dec,*(x) *Drexel.Gazophyl.p.1.c.3.*

pertit, est dives: & impertitio ac communicatio, non autem possessio, beatum reddit. (y) Aurum prodesse potest danti, non possidenti. Ideò demus divitias in præsenti, ut in futuro possideamus. Nullus melior custos divitiarum, quàm Christus. (z)

(y) *Clem. Alexandr. Pædag. l. 3. c. 6.*
(z) *Alcuin. ep. 66.*



CONSIDERATIO XX.

COELUM VENALE.

I. VAde, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. (*a*) *Ubi Hilarius*: Iacturâ substantiæ terrenæ, cœlorum opes emendæ sunt. Felicitas ergo magna Christianorum, quibus datum est, ut paupertate faciant pretium regni cœlorum. Non tibi displiceat paupertas tua, nihil eâ potest ditius inveniri. Vis nosse quàm locu-

[a] *Matth.* 19.

ples sit? Cœlum emit. (*b*) Vende aurum, & eme salutem: vende lapidem, & eme regnum Dei: vende agrum, & eme tibi vitam æternam. Vera allego, quia verba astruo Veritatis. Si vis perfectus esse, inquit, omnia quæcumque habes, vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. (Matth. 19.) Et noli contristari, cùm hæc audis; ne dicatur & tibi, sicut & illi adolescenti diviti, cui dictum est: Quàm difficilè, qui possessiones habent, in regnum Dei intrabunt! Magis, cùm hæc legis, considera, quia ista tibi potest mors eripere, potestas superioris tollere. Deinde quia poteris parva pro magnis, caduca pro æternis, thesauros pecuniæ pro thesauris gratiæ vendere. Isti corrumpuntur, illi permanent. Considera, quia hos solus non possides; possidet tecum tinea, possidet ærugo, quæ consumit pecuniam. Has tibi consortes avaritia dedit. Vide autem quos tibi det gratia debitores. Splendidum in panibus benedicent labia justorum, & testimonium bonitatis illius fiet. Facit ti-

(b) *Aug. de verb. Apost. serm.* 28.

bi Patrem debitorem Deum, qui pro munere, quo pauper adjutus est, fœnus exolvet, quasi boni debitor creditoris. Facit tibi debitorem Filium Dei, qui ait: Esurivi, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me. (Matth. 25.) Quod enim unicuique minimorum collatum fuerit, sibi dicit esse collatum. (c) *Quam autem mercedem daturus est*, cùm venerit in majestate sua, & omnes Angeli cum eo, & sedebit super sedem majestatis suæ? (d) *Enimverò dignam Deo.* Venite, *inquiet*, benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. (e) Quis dubitet post hanc vocem de hoc sæculo cum tota patrimonii sui pompa migrare? Stultitiæ profectò vanitas est, vitium in electione meritorum, plus mundum eligere, quàm cœleste regnum; magis sæculo placere, quàm Christo. Si quis itaque vult locum invenire in cœlesti sede, non desinat indigentibus necessaria mini-

(c) *Ambr. de Nabuthe c.* 14. (d) *Matth.* 25. (e) *ibid.*

ſtrare. Sed fortè dicat aliquis, Tenues ſunt facultates meæ: non patiuntur tantas erogationis expenſas. Si tibi aliquis domum præclaram hujus temporariæ poſſeſſionis offerret, nónne pretio collato undique nummos aggereres; & ſi fortè ſacculi tui pondus non ſufficeret, rem tibi neceſſariam mutuatâ pecuniâ comparares, donec ampliatâ novo ceſpite poſſeſſione gauderes? Ecce poſſeſſio tibi regni cœleſtis offertur, & quidem parvâ pretii mercede taxatâ; quæ poſſit etiam ab illo facilè emi, qui non ſolet de paupertate cauſari. (*f*) Exteriora etenim noſtra Domino quamlibet parva ſufficiunt: cor namque, & non ſubſtantiam, penſat . . . Æſtimationem quippe pretii rectè non habet, ſed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes. Valuit namque Zacchæo dimidium ſubſtantiæ: quia dimidium aliud ad hoc quod injuſtè abſtulit, reſtituendum in quadruplum reſervavit. (Luc. 19.) Valuit Petro & Andreæ dimiſsis retibus & navi. (Matth. 4.) Valuit viduæ duobus minutis. (Luc.

(f) *Valerian. hom.* 7.

21.) Valuit alteri calice aquæ frigidæ. (Matth. 10.) Regnum itaque Dei, ut diximus, tantum valet, quantum habes. Pensate igitur, Fratres, quid vilius, cùm emitur; quid carius, cùm possidetur? Sed fortasse nec calix aquæ frigidæ suppetit, qui indigenti præbeatur: etiam tunc securitatem nobis promittit sermo divinus. Redemptore etenim nato, cœli cives ostensi sunt, qui clamarent: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis (Luc. 2.) Ante Dei namque oculos nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bonâ voluntate. (g) Pius scilicet ac misericordiâ plenus, & consulere volens non solùm divitum largitati, sed etiam pauperculæ officiositati, ostendit, quo obnoxium sibi in aliquo Deum faceret, etiam qui quod fœneraret, penitùs non haberet. Sed forsitan tibi, quicumque dives es, indignum hoc facultatibus tuis opus pauperculorum esse videatur, & velis aliquam ad te peculiariter pertinentem sponsionem dominicæ repro-

(g) *Gregor. hom. 5. in Evang.*

missionis audire. Habes primùm illud, quód ad divitem illum Deus in Evangelio loquitur : Vade, vende omnia bona tua, & habebis thesaurum in cœlo...... Postremò illa, quibus omnes rerum mundialium possessores ad opus profluæ largitatis spe infinitæ remunerationis invitat, dicens quòd omnis qui propter honorem atque amorem suum, aut domum, aut agrum, aut quamcumque aliam facultatem in usus misericordiæ prærogavit, centuplum accipiat in futuro. Insuper autem inquit: Et vitam æternam possidebit. Quid spondere majus credentibus sibi potuit, qui magis fœneratoribus suis centuplum se redditurum esse promisit ? Nec solùm hoc, sed vitam, inquit, æternam possidebunt. (*h*) Sed quæso, durúmne adeo apt grave tibi verbum is proponit Magister ? Vende, inquit, quæ possides, & da pauperibus. Si proposuisset aut agriculturæ labores, aut mercaturæ pericula, vel qualia, qui pecuniis student, tolerare solent, jure gravatus te poteras excusare, ac consilium despi-

[h] *Salvian. ad Eccles. l. 3.*

cere. Si verò facilis tibi via, sudoris laborisque vacua, ad consequendum æternæ vitæ hæreditatem ostenditur, tanta salutis facilitate non gaudes, sed dolens anxiusque discedis: facis ut quidquid boni gesseris, inutile parumque tibi valiturum sit. . . . In festis mercatibusque nemo angitur sua pro mercibus dare: quantoque fuerint pretiosiores, tanto magis gaudet, ut quam accipiat præcellentiorem. At tu & aurum & possessiones distribuere, præterea lapidem & terram pro æterna dare felicitate gravaris . . . Si te in futurum sæculum sequerentur; profectò præ illis pretiosioribus, quæ ibi reperies, & hæc nihil penderes. Sed quando necesse semel est ea hic remanere, cur ex eorum actione non lucrifacis, majora longè reperiendo? Nam si alacri lætoque animo das aurum, ut equos possideas; cur id regno Dei potiùs commutari suasus doles, petenti denegas & abnuis, mille sumptuum occasiones commemorando? (i)

(i) *Basil. hom. 7. in divites avaros.*

II. Hanc esse vitam nundinas credas, velim.
Negotiari si scias, lucrum feres,
Caduca mutans commodis perennibus.
Post illud tempus, alterum non suppetet. (a)

Et vide, quanta sit Dei misericordia: temporalem redimere mortem tibi non concessit, sed concessit, æternam mortem. Ne brevem, inquit, emas vitam hanc, sed vitam illam æternam: illam tibi vendo, non hanc; non illudo tibi. Hanc etsi ceperis, ceperis nihil. Ego novi, quòd illa magna sit .... Poteſt igitur, inquies, pecuniis vita redimi? Poteſt, si noſtra erogemus. (b) Non deeſt, unde Deus det suis. Tu vide quid emas, quando emas, quanti emas. Emis enim regnum coelorum; & non eſt emendi tempus, nisi in hac vita. Et quàm vili emas, attende. Tanti tibi valet, quantum habere poteris. Fac misericordiam. (c) Producitur hodie bona negotia-

(a) *Greg. Nazianz. in Tetrastichis.* (b) *Chryſoſt. hom.* 36. *ad Pop. vid. & in* 2. *Tim. hom.* 6.
(c) *Auguſt. in Pſ.* 102.

tio. Videmus enim captivos & pauperes: videmus in foro quosdam circumferri clamitantes, videmus lacrymantes, videmusque sese humili nobis quosdam flectentes applausu. Nundinæ nobis profectò mirabiles sunt: harum nulla alia est professio, & negotiatori nulla alia intentio, quàm parvo quidem emere, magno vendere: nam ea cujusque negotiantis industria. Num negotiationis alia ratio est, quàm quòd minori empta, majori pretio vendat, atque duplicatam sibi summam inveniat? Tales igitur nobis Deus nundinas proposuit: modico justitias eme, quò multo vendas in sæculo futuro. Hîc modico justitia emitur, pro vili panis fragmento, vili pro vestimento, pro calice aquæ frigidæ .... Quamdiu itaque virtutes adsunt, quæ parvo venumdantur, ab eo, qui magna donat, accipiamus, rapiamus. Sitientes enim, inquit, venite ad aquas: & qui non habetis argentum, venite, & emite. (*Isai.* 55.) Quamdiu nundinæ ipsæ perseverant, demus eleëmosynam, salutem ema-

emamus. (*d*) Quanti emitur? quanti libuerit. Pretium non appono, ne objicias inopiam. Quanti potes, tanti eme. Habes denarium? eme cœlum. Non quòd venale sit cœlum; sed quòd clemens sit Dominus. Non habes denarium; da calicem frigidæ aquæ. Inquit enim: Quicumque dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ propter me, non perdet mercedem suam. (Matth. 10.) Mercatura, negotiatioque cœlum est: atque ipsi pigritamus. Da panem, & accipe Paradisum: parva da, & magna suscipe: da mortalia, & immortalia recipe: da corruptibilia, & incorruptibilia accipe. (*e*) Omni pretio comparandum propositum est regnum cœlorum. Non est ut dicat aliquis habens duos denarios, idoneum se non esse ad comparandum. Tanto illa evangelica vidua comparavit. (*f*) Cibus egeni, regni cœlestis est pretium: & largitor temporalium, hæres efficitur æternorum. Unde autem exigua ista impendia, tantâ æstimari taxatione meruе-

Q

(d) *Chrysost. de Pœnitent. ho.* 5. (e) *Idem de Pœnit. ho.* 9. (f) *Aug. serm.* 19. *ex* 40. *novis.*

runt ? nisi quia pondera operum, charitatis lance pensantur; & cùm amatur ab homine, quod Deus diligit, meritò in ejus ascenditur regnum, in cujus transitur affectum. (*g*) Clamat Deus: Misericordiam volo (*Osee 6.*) Homo da Deo quod vult, si vis tibi dari à Deo quod vis. Misericordiam volo, Dei vox est: Deus à nobis misericordiam petit: &, si dederimus, quid dicturus est? Esurivi, & dedistis mihi manducare. Venite benedicti Patris mei: percipite regnum &c. Qui dederit esurienti panem, dabit sibi regnum: negabit sibi fontem vitæ, sitienti aquæ calicem qui negarit. Amore pauperis, Deus suum regnum vendit: &, ut emere illud omnis homo possit, fragmentum panis ponit in pretium: quia vult habere omnes, qui tantum petit pretii, quantum hominem scit habere. Deus regnum suum fragmento panis vendit: quis excusare poterit non ementem, quem tanta vilitas venditionis accusat? (*h*) Non est enim, non est,

(g) *Leo serm. 4. de Collectis.*
(h) *Chrysol. serm.* 41.

inquam, mercaturâ iſtâ & negotiatione lucroſius: nam fit quidem in terra, conſummatur in cœlo. Ementes enim, in terra quidem conſiſtunt, coëmunt verò & paciſcuntur ea quæ in cœlis ſunt, terrenum rependentes pretium. Sed iſtud ne reprehendas; cœleſtia pecuniis non emuntur. Non pecuniæ ea comparant, ſed voluntas ejus qui pecunias dependit. Philoſophia eſt, temporalibus ſuperiorem eſſe, eſſe benignum & miſericordem. Alioqui ſi argento cœleſtia venirent, quæ æra minuta duo dependebat, nihil utique magni accepiſſet. Quoniam verò non argentum, ſed voluntas hîc valebat, factum eſt, ut quia omnem voluntatem ſuam exhibebat, omnia quoque acceperit. Non ergo dicamus, pecuniis venire regnum cœlorum: non pecuniis emitur, ſed animi voluntate, quæ pecuniis oſtenditur & exhibetur. (*i*)

III. *Cœlum eleëmoſynâ comparari, præter luculenta Chriſti Iudicis verba, quibus miſericordibus paratum à conſtitutione mundi regnum adjudicat, clamant complures hiſto-*

(i) *Chryſoſt. ho. 15. in ep. ad Philipp.*

riæ. Aliquas accipe, mi Christiane, & felici faciliq; commercio cœlum nundinare. Suaserat Eleëmosynarius Ioannes Alexandrinorum Patriarcha Troilo Episcopo, ut triginta auri libras, quas in supellectilem argenteam effundere parabat, in egenos meliore consilio & proventu effunderet. Fecit ille; at posteà (ut erat nummorum appetentior) facti pœnitens, etiam in febrim ex animi ægrimonia incidit. Rem subodoratus Patriarcha, pecuniam avaro restituit & sanitatem. Ille verò, sibi jam velut redditus, chirographum dat in hæc verba: Deus, Domino meo Joanni beatissimo Patriarchæ hujus Alexandrinorum magnæ civitatis, da mercedem triginta librarum auri, quæ datæ sunt tibi: quoniam ego recepi meas. *Ita infelix nundinator, cœlum, quod jam triginta auri libris emerat, Patriarchæ cessit; quod & probavit objecta deinde illi visio. Siquidem in somnis videre sibi visus est palatium ingens miræ pulchritudinis, auro gemmisq; conspicuum; tum in illius superliminari cubitalibus litteris hanc etiam inscriptionem legere:* Mansio æterna, & requies Troïli Episcopi. *Dum his oculos animumq; pascit, atque oblectat, Ecce tibi ex eo pa-*

latio Genius aliquis, utique cœlestis, alius velut cubicularius comitatus, epigraphen illam eradi mandat, atque hanc substitui: Mansio æterna, ac requies Joannis Archiepiscopi Alexandriæ, empta triginta libris. *Excusso ad hæc sopore & stupore, didicit infelix Troïlus, cœlum se perdidisse, malè revocato & recepto, quod paulò antè dederat, pretio; factus tamen inde sapientior, largus deinceps in egenos, recuperare studuit quod amiserat.* (a) Emit, imò *sibi paravit cœleste palatium sanctus Deus-dedit, opificio sutor; de quo S. Gregorius Pontifex maximus.* (b) *Is Romæ diebus sabbathinis itare consuêrat ad ædem S. Petri, atque in mendiculos, qui fortè ad valvas stabant, distribuere, quidquid sibi lucelli pararat reliquâ hebdomadâ. Ei insignem domum, dignam cœli habitatore, ædificari vidit, Deo revelante, quispiam, observavitq́ue, ejus constructores solo die Sabbathi operari, eâ videlicet luce, quâ eleëmosynas elargiebatur, ut illarum sumptu palatium istud assurgere intelligeretur, nummis in lateres aureos conversis.* Sanè quidem (*subdit Cardinalis Baronius, post-*

(a) *Leont. in vita S. Ioan. c.* 9. *apud Bollandum* 23. *Ian.* (b) *Dialog. l.* 4. *c.* 36.

quam hæc ex S. Gregorio retulit) (c) quæ per visum ostensa sunt symbola veritatis, ex divinis quoque Scripturis sibi vendicant testimonium. Si enim de structura agitur, scriptum est: Misericordia ædificabitur in cœlis (Ps. 88.) Et de lapidibus pretiosis sive laterculis aureis, habes, præter alia multa, Apostolum istud ipsum uberiùs exprimentem, cùm ait: Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, &c. si cujus manserit opus quod ædificavit, mercedem accipiet. (1. Cor. 3.) Hæc & alia plurima id genus in divinis Scripturis facile est invenire, non ad insinuandum quid sint, sed quid significare velint. *Hactenus Baronius. Mansionem pariter in cœlis permanentem, suâ in pauperes misericordiâ, sibi comparavit Petrus Vellius, locuples in Indiis mercator. Rem narro historici nostri Orlandini verbis.* (d) Puellæ egentis ut pudori pudicitiæque consuleret Xaverius *(magnus ille Indiarum Apostolus)* corrogare ei undique dotem cœpit:

(c) *Ad ann. Christi* 590.
(d) *Histor. Soc. par.* 1. *l.* 12. *n.* 100. *& seq.*

& à Vellio homine pecuniosissimo, vetere familiari, mutuum petit argentum, centuplicato fœnore in cœlo reddendum. Is cùm alienæ domi sese latrunculis oblectaret, clavem arcæ nummariæ Xaverio tradidit, ut inde auri promeret quantum vellet. Erant in ea arca aureorum condita facilè triginta millia: Sed Pater trecentos tantùm abstulit, clavique redditâ, Petro renuntiat, quantum inde deprompserit. Tum Petrus, Facis, inquit, injuriam amicitiæ nostræ, Xaveri, qui tam exiguam particulam abstulisti; multò minus sumpsisti, quàm volui. At ego ubi tibi clavem tradidi, ita destinavi animo, ut illam auri summam partiremur ex æquo. Cujus pia liberalitate Xaverius magnopere delectatus: Et ego, inquit, Dei nomine tibi polliceor atque confirmo, nullo loco ejus tibi misericordiam, qui in alios fuisti misericors, defuturam; futurumque insuper ut extremum tuæ vitæ diem, quò paratior ad Deum abeas, eo præmonente cognoscas. Ex eo die Petrus vir alius evasit, præcipueque beneficentiæ pietatisque studiis ita se


dedit, ut interjecto annorum aliquot ſpatio, dignus denique idoneuſque ſit habitus, cui Deus diem ſui obitus indicaret. Compoſitâ quippe re domeſticâ, magnáque ex parte ſuis fortunis in egenos ac miſeros erogatis, ad ædem pergit, Parochumque hortatur, ut pro Petro Vellio funebre ſacrificium ritu ſolenni faciat; cui interfuit ipſe, ſe jam numerans inter mortuos. Inde amicis ſingillatim valere juſſis, tanquam peregrè diſceſſurus, cùm rogaretur, quò tandem diſcederet, reſpondit, In cœlum. Iocari hominem lepidum & cæteroqui facetum rebantur amici. Verùm ubi in eo perſeverare Vellium, remotóque joco, feriò loqui ſenſerunt, audierantque jam illum ſacris funeribus ritè animo procurato, præſtolari domi abditum mortis adventum; inſaniam illam interpretati, vel ægritudinem animi, domum ejus coiere frequentes, ut eum pro ſe quiſque ab ea triſtitia ægritudinéque deducerent. At ille gaudium animi, oris hilaritate conteſtans, Xaverii prænuntiationem amicis exponit, rogatque ſuo ut funeri eo ipſo

die mox obituri dent operam. Nec ita multò pòst, affectâ jam ætate hominem repentina mors abstulit; eodemque die ad ædem elato, amici, tam inusitato mortis genere obstupefacti, funus & justa curarunt. *Felix commercium!* terrenis cœlestia, transituris mercari æterna. (*e*) *Fortunatam hanc, ac Christiano cuilibet, ipsis etiam Regibus exercendam, negotiationem, gravibus sententiis commendat B. Alcuinus ita scribens Ædilredo Regi*: Quidquid in sæculo amatur, amittitur. Quidquid pro Deo datur, habetur. Cui largus eris, si tuæ animæ tenax? Vel quis tibi fidelis erit, si tu tibi infidelis eris? Cur in alium spem ponis, & tu tibi ipse benefacere non vis? Morieris, ô homo, & omnia dimittes quæ habes. Hic vis esse dives, peregrinus & parvi hospes temporis; & non vis ibi esse dives, ubi semper eris? Præmitte tibi divitias tuas, ut habeas in æternum, quod amas in sæculo. Construe tibi bonis operibus beatam domum. (*f*) Hanc in

(e) Petr. Dam. de eleëmo. c. 2. apud Nieremb. bo. 2. §. 3. (f) Alcuin. ep. 29.

ſtructuram, (*monet Chryſoſtomus*) pecuniam impendamus. Non architectorum ſanè aut operariorum magna nobis fuerit cura. Pauperum manus hujuſmodi domos conſtruunt; claudi, eſurientes illas ædificant. Ne mireris, quoniam quidem hi & regnum nobis propinant, fiduciamque nobis ad Deum tribuunt. Nam eleëmoſyna ipſa artifex eſt, optimáque illorum propugnatrix & tutela, qui exercent eam. Etenim Deo amica eſt, & cominus ſibi ſemper aſſiſtit. (*g*) *Hinc veriſſimè Salomon*: Qui ſequitur juſtitiam & miſericordiam, inveniet vitam, juſtitiam, & gloriam. (*h*) *Auguſtinus verò*: Felix operarius cultor eleëmoſynarum, qui ære ſuo comparaverit cœlum, & dans panem eſurientibus, delictorum ſuorum preſſit incendium ... In tali cauſa operarius felix vivit, & ſecurus jam moritur, cum quo ambulat patrimonium in immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum paſcit alterum dando ... Nullam poterit incurrere perniciem, qui comparaverit eleëmoſynis pietatem. (*i*)

(g) *Chryſoſt. de pœnit. hom.* 7. (h) *Prov.* 21.
(i) *Auguſt. hom.* 39. *inter* 50.



CONSIDERATIO XXI.

COELESTE CORNV-COPIÆ.

I. MUltis divinarum Scripturarum testimoniis edocemur, quantum eleëmosynæ meritum, & quanta sit virtus. Certum est enim, unumquemque nostrum animæ suæ benefacere, quoties misericordiâ suâ inopiæ succurrit alienæ. (a) *Id quod præclarè agnovit, & filium suum docuit Tobias senior*: Ex substantia tua fac eleëmosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo poteris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, Quoniam

(a) *Leo serm.* I. *de Collectis.*

eleëmosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo, eleëmosyna, omnibus facientibus eàm. (*b*) *Quæ Tobiæ effata, confirmat ipse* Raphaël Angelus unus ex septem, qui adstant ante Dominum, *Tobiam ipsum alloquens*: Bona est oratio cum jejunio, & eleëmosyna magis quàm thesauros auri reconde-re: quoniam eleëmosyna â morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit invenire misericordiam, & vitam æternam. (*c*) *Et Veritas ipsa*: Date eleëmosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. (*d*) *Siracides verò*: Ignem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis. (*e*) *Et iterum*: Conclude eleëmosynam in corde pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo. Super scutum potentis, & super lanceam, adversus inimicum tuum pugnabit. (*f*) Efficacissima est ad exorandum Deum postulatio, cui pietatis opera suffragantur. (*g*) Benignitatem itaque in hoc, & dispensationem di-

(b) *Tob.*4. (c) *Tob.*12. (d) *Luc.*11. (e) *Eccli.*3. (f) *Eccli.*29. (g) *Leo serm.* 6. *de jejun. X. mens.*

vinæ pietatis agnoſce. Idcirco enim te abundare voluit, ut per te alius non egeret; & per miniſterium operis tui, pauperem ab egeſtatis labore, te à peccatorum multitudine liberaret. O mira providentia Creatoris! ut uno facto duobus vellet eſſe ſuccurſum. (*h*) Eleëmoſynæ enim, opera charitatis ſunt. Et ſcimus, quòd charitas operit multitudinem peccatorum. (*i*) *Quare meritò ſcriptum eſt*: Benefacit animæ ſuæ vir miſericors. (*k*) *Et iterum*: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. (*l*) Ipſe erit illis ſumma præmii, qui forma eſt præcepti. (*m*) Quoniam qui ſuum ab inope non avertit animum, citò ad ſe Domini convertit auditum, dicente Domino: Eſtote miſericordes. Dimittite, & dimittetur. (Luc. 6.) Quid hac juſtitia benignius? Quid hac retributione clementius, ubi ſententia judicaturi in poteſtate ponitur judicandi? Date, inquit, & dabitur vobis. Quàm citò diffidentiæ ſollicitu-

(h) *Leo de Collect. ſerm.* 1. (i) *Ibid. ſerm.* 2.
(k) *Prov.* 11. (l) *Matth.* 5. (m) *Leo de jejun. X. menſis ſerm.* 5.

do, & avaritiæ eſt amputata cunctatio! ut quod reddituram ſe promittit Veritas, ſecura expendat humilitas. (*n*) Nullâ enim devotione fidelium magis Dominus delectatur, quàm iſtâ quæ pauperibus impenditur; & *ubi* curam miſericordiæ invenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit. (*o*) Ita cùm pleraque alia dixit, de nullo id, præterquàm de miſericordia, dixit: Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter. Nihil enim certè nos uſque ad ſimilitudinem Dei ſic effert atque extollit, quemadmodum libera, benefica, & copioſa collatio. (*p*) Solum pietatis ac miſerationis eſt ſtudium, quo Deo æquales evadere poſſumus: quo ſi careamus, cuncta ſimul amiſimus. Non enim ait: Si jejunaveritis, aut virginitatem obſervaveritis, aut oraveritis, Patri veſtro ſimiles eritis: nihil enim hujusmodi in Deum cadit, neque aliquid tale operatur Deus. Sed quid? Eſtote, inquit, miſericordes, ſicut Pater veſter, qui in cœlis eſt. Iſtud Dei opus eſt: hoc ſi deſit, quid

(n) *Ibid. ſerm. 6.* (o) *Leo de Quadrageſima ſerm.* 10. (p) *Chryſoſt. in Matth. hom.* 36.

habes? ... Nihil Deum ita nobis propitium, ut misericordiæ studium, facit. (q) *Vnde Clemens Alexandrinus*: Revera Dei est imago homo benefaciens: qua in re ipse etiam beneficio afficitur, sicut gubernator simul servat, & servatur. (r) Deus enim est talis doni conditor. Iam verò qui lubenter largitur, satis magnas accipit usuras, ea quæ sunt apud homines pretiosissima, nempe mansuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam famam, laudemque & gloriam. (s) *Hæc ille. S. verò Gregorius Nazianzenus*: Da operam, ut non solùm opibus, sed etiam pietate; non solùm auro, sed etiam virtute sis locuples. Cura, ut proximo tuo præstantior sis, quia benignior. Fac, calamitoso sis Deus, Dei misericordiam imitando. Nihil enim tam divinum homo habet, quàm de alio benè mereri: tametsi ille majora, hic minora beneficia conferat, uterque nimirum pro suis viribus. (t) *Gregorius autem Nyssenus ad illa Servatoris ver-*

(q) *Chrysost. in 2. Tim. ho. 6. item ad Pop. hom.* 36 (r) *Clem. Alex. l. 2. Strom. c.* 9. (s) *Ibid. c.* 8. (t) *Nazianz. orat.* 16. *n.* 37.

ba : Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur. (*Matt.* 5.) Si misericordis appellatio, *inquit*, Deum decet, ad quid aliud te sermo Christi hortatur, nisi ut Deus fias, tanquam insignitus propria nota Deïtatis. (*u*) *Hinc illa parœmia græca*, Homo homini Deus, *utique beneficentiâ, quæ hominem Deum quasi facit, certè Deo propinquum*, qui dat omnibus affluenter, (*x*) cujus natura bonitas, cujus opus misericordia est, (*y*) & miserationes ejus super omnia opera ejus. (*z*) Induite vos ergo (*scribit Apostolus*) sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ. (*aa*) *Et iterum* : Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci : talibus enim hostiis promeretur Deus. (*bb*) Sacrificium Christiani est eleëmosyna in pauperem. (*cc*) O quàm breve compendiosumque sacrificium !... Eleëmosyna munus bonum est omnibus facientibus eam, coram summo Deo. Hæc est quæ perpetuos ignes extinguit : hæc est quæ resistit

(u) *Nyssen. de Beatitud. orat.* 5. (x) *Iac.* 1.
(y) *Leo serm.* 2. *in Nativit. Dom.* (z) *Ps.* 144.
(aa) *Coloss.* 3. (bb) *Hebr.* 13. (cc) *Aug. hom.* 29. *ex* 50.

peccatis : hæc eſt quæ Chriſtum paſcit eſurientem in paupere, &c. Hæc divitibus confert remedia : hæc vitam æternam comparat : hæc fœnerat Deum : hæc continet regnum cœlorum : hæc eſt quæ diſcernit agnos ab hœdis : hæc eſt quæ ad dextram collocat Judicis : hæc Angelis ſociat : hæc ex ſervis filios Dei præſtat. *(dd)* Hæc ſacrificio major eſt. Miſericordiam, inquit, volo, & non ſacrificium. (*Matth.* 9.) Hæc cœlos aperit : (*ee*) cœlum ipſum tranſcendit, & cœlum cœlorum, & ſe regio throno ſiſtit, (*ff*) ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, tutela fidei, medela peccati, verum Dei munus & maximum, quo Chriſtianus promeretur Chriſtum judicem, Deum computat debitorem; (*gg*) *denique, ut uno Theophylacti verbo omnia complectar*, prima filia deificantis charitatis. (*hh*) *Ergo* jucundus (*ſeu, ut alii*, felix) homo qui miſeretur & commodat : diſ-

(dd) *Proſper de Promiſſion. p. 2. c. 7.* (ee) *Chryſoſt. in Matth. hom.* 51. (ff) *Id. in 2. Cor. hom.* 20. (gg) *Cyprian. de opere & eleëmoſ.*
(hh) *Theophylact. in Luc.* 11. *v.* 41.

ponet sermones suos in judicio ; quia in æternum non commovebitur : ab auditione malâ non timebit. Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi ; cornu ejus exaltabitur in gloria. (*ii*) Et semen illius in benedictione erit ; (*kk*) *ut quod de felici sorte sapientiæ sibi gratulatus, verè pronuntiavit Salomon ; idem asserere & gratulari sibi meritò poßit vir misericors de eleëmosyna :* Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas (*gracè*, divitiæ) per manus illius. (*ll*) *Quare perutilem, ut optimè advertit & explicat magnus Eleëmosynæ Ecclesiastes Chrysostomus, ejusdem Salomonis admonitionem audiamus, & exequamur.* Fili mi, Misericordia & veritas te non deserant : circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui : & invenies gratiam & disciplinam coram Deo & hominibus. (*mm*) Circumdemus nobis istum ornatum. Torquem faciamus auream (eleëmosynam dico) donec hîc fuerimus..... Magnum bonum ac

(ii) *Ps.* 111. (kk) *Ps.* 36. (ll) *Sap.* 7.
(mm) *Prov.* 3.

pretiosum est eleëmosyna ; magnum est donum : imò magna est bonitas... Hanc diligamus, hanc amemus, non unum diem, non alterum, sed per omne tempus. (*nn*)

II. Secundùm se misericordia maxima est virtus. Pertinet enim ad misericordiam, quòd alii effundat; &, quod plus est, quòd defectus aliorum sublevet : & hoc maximè superioris est. Unde & misereri ponitur proprium Deo. Et in hoc maximè dicitur ejus omnipotentia manifestari. (*a*) Bona *igitur* eleëmosyna, quæ & ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Nihil tam commendat Christianam animam, quàm misericordia... Neque quisquam magis beatus, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem, & infirmi atque inopis ærumnam. In die judicii habebit salutem à Domino, quem habebit suæ debitorem misericordiæ. (*b*) In die malâ liberabit eum Dominus. (*c*) Qui se novit per mala sæculi vitam ducere, eleëmosynæ semper secum auxilium ferat : ad præ-

(nn) *Chrysost. in argum. ep. ad Philipp.*
(a) *S. Th.* 2. 2. *q.* 30. *a.* 4. (b) *Ambr. l.* 1. *Offic. c.* 11. (c) *Ps.* 40.

ſidium ſibi turmas pauperum vocet: in paſtu pauperum largus prorogator exuberet: pauperum frequentet domum: non trepidet erogando: deficere neſcit, cui porrigit manum, parcus acceptor: exhauriri theſaurus is non poteſt, de quo ſufficit nummus. In die mala illi Deus liberator aſſiſtet, qui à malis pauperem liberarit. In anguſtiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem, cùm clamaret, audivit. Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Videbit diem malum, qui diem judicii ſine advocatione paupertatis intraverit. Sine cauſa accuſant peccata, quem pauper excuſat. Excuſari non poteſt, quem fames pauperis accuſarit... Beatus qui fœnerando pauperi, ipſum ſibi judicem præſtitit debitorem. (*d*) Dominus conſervet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus. Dominus opem ferat illi ſuper lectum doloris ejus. (*e*) Iſta Prophetæ optatio promiſſio eſt: ſecuri

[d] *Chryſol. ſerm.* 14.
[e] *Pſ.* 40.

expectant, qui hoc agunt. (f) Non dixit, Conservat, & vivificat: sed dixit, Conservet & vivificet. Dixit, non ut denuntiantis vox sit ista, sed rogantis. Qui audivit rogantem egenum, ecce audit orbe toto Ecclesiam sic rogantem. Conservet, ne rapiatur ad pœnam: vivificet, ut resurgat à mortuis, & recipiat vitam *&c.* (g) *Nempe, ut verè Siracides:* Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam. Meminit ejus in posterum, & in tempore casus sui inveniet firmamentum. (h) *Et Psaltes:* Cùm ceciderit, non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. (i) Hilarem enim datorem diligit Deus. (k) *Rectè igitur Nazianzenus:* (l) Beneficentiæ erga pauperes infinita sunt commoda: *& Chrysostomus:* (m) Eleëmosynæ nihil par est. *Verum & illud Ambrosii:* Omnis summa disciplinæ nostræ, in misericordia & pietate est: (n) *& Angelici Doctoris,* Inter omnes virtutes, quæ ad proximum pertinent, potissima est misericordia, sicut

(f) *August. ibi.* (g) *Chrysol. suprà.* (h) *Eccli.* 3. (i) *Ps.* 36. (k) 1. *Cor.* 9. (l) *Apud Drexel. Gazophyl. p.* 3. *c.* 6. *§.* 6. (m) *Hom.* 22. *in Acta.* (n) *Ambr. in* 1. *Tim.* 4.

etiam eſt potioris actus.... Per illam aſſimilamur Deo ſecundùm ſimilitudinem operationis. (*o*) Magna ſunt opera Domini: ſed magnitudinem præcellit miſericordiæ magnitudo. Nam cùm dixiſſet Propheta, Magna opera Domini (Pſ. 110.) adjecit alibi, Miſericordiæ (*Vulgata habet*, Miſerationes) ejus ſuper omnia opera ejus. (Pſ. 144.) Miſericordia, Fratres, implet cœlum: replet terram: Domine, inquit, in cœlo miſericordia tua. (Pſ. 35.) Et idem ipſe: Miſericordiâ Domini plena eſt terra. (Pſ. 32.) Et revera, Fratres, periiſſet totum quod Deus fecerat, niſi miſericordia ſubveniſſet.... Et ſi Deus reddit per miſericordiam, quod per judicium deperierat; homo, quid tibi ſtare, quid conſtare ſine miſericordia tu putabis? (*p*) Pretium redemptionis animæ, eleëmoſyna eſt. (*q*) *Unde Auguſtinus:* Magnum opus eſt eleëmoſyna, ut faciat homo, quod fecit Deus. (*r*) Miſericordia igitur, ô Fratres mei, ma-

(o) *S. Th.* 2. 2. *q.* 30. *a.* 4 (p) *Chryſol. ſerm.* 42. (q) *Chryſoſt. de Pœnit. hom.* 9. (r) *Aug. hom.* 39. *ex* 50.

ter nostra sit..... O misericordia salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum, tu justos probas, tu sanctos roboras, malos ad bonum perducis, & qui sine te cunctis bonis abundare videtur, vel castitate apparet decoratus, omninò dicere non desistat: Servus inutilis sum. .... Cupis, ô homo, ut tui misereatur Deus? Fac ut proximo miserearis. Nam tantum tibi miserebitur Deus quantum & tu misereberis proximo. (s) Tu tibi misericordiæ factus es ipse mensura: quantum quæris misericordiæ, fac tantum. (t) Si pauperes de tuo edent, tu saturaberis: si illi de tuo biberint, tu sitis tuæ æstum ardoremque restingues: te illorum vestitus vestiet. (u) Quod ergo facis, tibi plus prodest. (x)

III. *Eleëmosyna, specie virginis pulcherrimæ, oleaginâ coronâ caput redimita, sese stitit in somnis Ioanni adhuc juveni, cui deinde nobile eleëmosynarii nomen, meritissimo jure, inditum: eumq; expergefa-*

(s) *Serm.* 44. *ad Fratres in Eremo tom.* 10. *oper. August.* (t) *Chrysolog. serm.* 71.
(u) *Salvian. ad Eccles. l.* 4. (x) *August. in Ps.* 102.

ciens, vultu hilari & subridens, pulso omni terrore: Ego, *inquit*, sum prima filiarum summi Regis: si me benevolam habueris, ad supremum Imperatorem te perducam; etenim nemini tantum potestatis in eum, quantum mihi, conceditur. Ego eum cœlo detraxi, &, ut hominem indueret, hominesque moriendo redimeret, persuasi. *Dixit, & sese oculis illicò subtraxit. Abit extemplò ad ædem Ioannes, vestem dat mendico: ab ignoti oris homine centum nummos dono accipit, prout velit, expendendos. Elargitur & hos, & alios, & quidquid deinceps facultatum habere potuit, effusissimus in pauperes, quos* dominos suos & adjutores *appellitabat, ut* qui soli (*ita dictitabat, ita sentiebat vir modestissimus*) opem ipsi ferrent, ne à Christi regno excideret; *nunquam lætior ditiórve, quàm cùm omnia erogaret: dignissimus proinde*, vir misericordiæ, (*a*) *&, ex aliâ Scripturæ phrasi*, filius olei, (*b*) *summè, inquam, misericors, cujus anima soluta corpore, ab eadem, quam olim spectabilem habuerat, & totâ vitâ charissimam, summi Regis primogenitâ exciperetur,*

(a) *Eccli.* 44. (b) *Isai.* 5.

ciperetur, & introduceretur ad æternum bonorum omnium largitorem & fontem, stipante innumerâ propè pauperum, orphanorum, viduarúmque multitudine, præferentium, in signum triumphi & lætitiæ, ramos olivarum, symbolum utique misericordiæ; quâ, ad insigne exemplum, ad miraculum, inclaruerat sanctus Antistes: cujus etiam sacrum corpus cùm in æde sancti Tychonis inferretur in sepulchrum duorum Episcoporum, horum sacra corpora hinc & hinc recedentia, Dei jussu, honoris causâ, medium excepere, miraculi teste populo Alexandrino, qui ad supremos honores sui Præsulis affluxerat. Nec desiit benefacere à morte Ioannes. Præter alia, ex ejus corpore oleum emanavit in annos & sæcula, ad plurimorum sanitatem. (*c*) *Accipe & hîc, mi Lector, & mirare maximi hujus Eleëmonis, (qui, præter cetera continuæ beneficentiæ munera, quotidie circiter octies mille pauperes alebat) dignum Superis testibus, approbatore Deo, testamentum. En autem illud, ut lego apud Leontium Neapoleos Cypri Episcopum, Ioannis æqualem.* (*d*) Joannes servus, propter

[c] *Leontius & alii in vita S. Ioan. Eleëm.* (d) *De quo Bolland. 23. Ian. ad vitam S. Ioan. §. 2.*

eam verò, quæ ſuppoſita eſt mihi, Sacerdotii dignitatem, Dei gratiâ liber. Gratias ago, Deus, tibi, quoniam exaudiſti miſeriam meam, rogantem bonitatem tuam, ne inveniretur morienti mihi niſi unus tremiſſis. Inveniente enim me in honorabili Epiſcopio ſanctiſſimæ Eccleſiæ Alexandrinorum magnæ civitatis, quam per indulgentiam Dei ſuſcepi, quando in eâ conſecratus ſum Epiſcopus, circiter octoginta centenaria auri, & quæ intraverunt mihi ab amicis Chriſti, pænè numerum hominis tranſcendunt: in ſeipſam mentem colligens, & cognoſcens hæc omnia dominatoris omnium eſſe, feſtinavi ea, quæ Dei erant; Deo dare. Unde & quod remanſit mihi hoc tremiſſe, Dei & hoc exiſtens, jubeo dari his qui ſunt Dei. *Quid ex iſtis colligis, mi Chriſtiane? Miſericordem virum Deo gratiſſimum eſſe; nulla re indigere; quæ à Deo accepit, Deo ſeu Dei ſervis & pauperibus liberaliter elargiri, ſecurè & beatè mori. Age, imitare, & cœleſte cornu-copiæ eleëmoſynam reipſa & tuo ingenti lucro proba.* Abraham cœleſtis convivii princi-

pem humanitas ardens Deo impensa perficit: nam quia duos cum Deo terrenam suscepit ad mensam, Orientis & Occidentis populum mensam suscepit ad cœlestem. Venient, inquit, ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob, in regno cœlorum. (Matth. 8.) Loth quia hospitio suscepit Angelos, judicium prævenit. Hinc gehennam vicit in carne. Misericordem nescit divinus ignis exurere. Faciat ergo misericordiam, qui vult gehennæ incendium non timere..... Da panem, da vestimentum, da tectum, si Deum debitorem, non judicem vis habere. Nihil nos nocebit in terra, si nobis in cœlo misericordia sit patrona. (*e*) Si ipsa nos agnoverit, & Dominus agnoscet: si non agnoverit ipsa, ignorabit & Dominus, & dicet, Nescio vos. Ait enim: Magna res homo, & pretiosa, vir misericors. Hæc major est gratia, quàm mortuos suscitare. Multò namque majus est, quàm in nomine JESU mortuos suscitare, esurientem pascere Christum.

(e) *Chrysol. serm.* 42.

Nam hîc quidem tu de Christo benè mereris, illìc autem ipse de te...... Hîc enim, in signis, inquam, ipse Deo debes; in eleëmosyna verò Deum habes debitorem. (*f*) Ejus enim est tanta liberalitas, ut ex his quæ dedit, accipiens, se propria non censeat accipere: sed multâ cum largitate nobis ea reddere polliceatur..... Et quid dico, quòd ea multiplicans illa manus præbet? Non enim ea solùm, verùm & cum his regnum donat cœlorum, & prædicat, & coronat, & infinita largitur bona, si quid ex rebus ab eo datis parvum erogare velimus. (*g*) *Quare Cosmus Magnus Etruriæ Dux, in egenos liberalissimus, Quæstoribus suis & Oeconomis, qui audaciùs nimiam largitatem objicerent, meritò succensuit, claréque pronuntiavit in hac verba, cedro & crebrâ meditatione digna*: Habeo librum dati & accepti à Deo: numquam potui solvere Deo quæ debeo; quò enim plura do, quotidie plura accipio: itaque semper Deum invenio creditorem. (*h*) *Neque verò*

(f) *Chrysost. hom.* 36. *ad Pop. & in* 2. *Cor. hom.* 16.
(g) *Chrysost. hom.* 34. *ad Pop.* (h) *Binet de eleëm. cap.* 8. *n.* 9.

intra ullum bonorum genus aut terminum sese continet eleëmosynæ vis, & Dei remuneratio. Ad omnia sese extendit. Eleëmosyna Tabitham à morte revocavit, Apostolorum Principe, ad viduarum, quas illa largitionibus foverat, lacrymas & preces, vitam restituente. (*i*) *Cornelium Centurionem ad legem Evangelicam adduxit, accersito eodem Apostolo, monitu Angeli illi enuntiantis*, Orationes tuæ & eleëmosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. (*k*) *Petrum Telonarium à Maurorum seu dæmonum potestate removit, æquante peccatorum alteri lanci impositorum pondus (ut ipsi objectum est in somnis) siligineo pane, quem vel iratus in mendicum conjecerat; & ex avaro liberalissimum reddidit.* (*l*) *Mulierem Indam æternis suppliciis exemit, Deiparâ misericordiæ matre patrocinante, in cujus honorem, non diu ante mortem, jusculum egeno porrexerat.* (*m*) *Item aliam cœlo adscripsit, puerulis duobus, quos ipsa miserata lactaverat, supremum Iudicem ad miserationem & veniam flectentibus.* (*n*) *A Zenone Imperatore vin-*

(i) *Act.* 9. (k) *Act.* 10. (l) *Leont. in vita S. Ioan. Eleëm.* (m) *D'outreman Pædagog. tom.* 1. *p.* 2. *c.* 23. *sect.* 2. (n) *Binet suprà n.* 3.

dicem cœli manum prohibuit, ipsâ Dei Matre, mulieri de filia injuriâ exposcenti pœnas, respondente, Ejus manus prohibet me. Erat enim, *ait Historicus,* valdè misericors, & eleëmosynas faciens.*(o) Ioannem Antonium Siminaum, propè nonagenatium & jam morti vicinum, ab hæresi Calvinistica ad Catholicam fidem adduxit eleëmosyna, & sacris armis ad æternitatem munivit.* (p) *Civem Antiochenum, qui nunquam cibum sumebat, quin socium haberet pauperem, ab urbis rüina illæsum servavit cum familia.* (q) *Marcianum Presbyterum, Constantinopolitanæ Ecclesiæ œconomum, virum sanctum, qui detractam sibi, cùm aliud non adesset, tunicam, quam gerebat, unicam, mendico donarat, penè nudum, veste, ad spectantium ipsiusq; Gennadii Patriarchæ stuporem, pulcherrimâ fulgentem exhibuit.* (r) *Ephræmium Orientis Comitem ad Præsulis Antiocheni solium evexit liberalitas in pauperes :* (s) *Gregorium Magnum è Monasterii præfectura ad supremi Pontificatus apicem :* (t) *Phi-*

(o) *Ioan. Moschus Prat. spirit. c.* 175. *Baron. an.* 474. (p) *Gualter. tab chronol. an.* 1612. (q) *Greg. Turon. l.* 10. *Hist. Franc. c.* 24. (r) *Sur.* 10. *Ian. Baron. an.* 459. (s) *Io. Moschus Prat. spirit. c.* 37. *Baron. an.* 526. (t) *Ioan. Diac. l.* 2. *vitæ c.* 23.

laredum, cognomento Misericordem, ex aratro ad imperii sceptrique consortium extulit; Irene Augustâ, ejus neptem, nomine Mariam, ab insigni viri charitate motâ, nuptui dante Imperatori Constantino filio: (u) Leonem I. è Tribunitio ad Romanum Imperium, quòd mendicum cæcum oberrantem summâ charitate ductaret, & siti laborantem omni studio reficere curaret, ipsa Dei Genitrice Imperium ei prænuntiante, & limoso cœno oculos cæci ad visum consequendum inungi jubente. (x) *Vis plura? Pleni sunt libri: quotidiana clamitat experientia, verißima illa Ambrosii pronuntiata:* Eleëmosynam facere illi proficit, qui largitur..... Eleëmosynæ erogatio lucrum tribuit eroganti. Ditior enim fit vir misericors posteaquàm minus habere incipit largiendo. Beata eleëmosyna, quæ & accipientem reficit, & lætificat erogantem. (y) *Et illa Agapeti S.R.E. Diaconi (Romani posteà, ut aliqui putant, Pontificis) ad Iustinianum Imperatorem:* Solus beneficentiæ thesaurus stabilis

(u) *Sylv. Petra-sancta Thaumas. to. 1. pag. 428.*
(x) *Baron. an. 457. ex Nicephoro l. 15. c. 25.*
(y) *Ambr. serm. 39.*

est possidentibus eum: bonarum enim actionum meritum ad authores retorquetur. *Et*: Vestimentum non veterascens est beneficentiæ amictus, & incorrupta stola est charitas erga pauperes.... Amoris enim in egenos qui indutus est purpuram, cœlestis quoque regni compos efficitur. (z)

[z] *Agapet. ep. parænet. ad Iustinian. Imp. apud Baron. tom. 7. in Append.*



CONSIDERATIO XXII.

AMBIENDVS PAVPERVM FAVOR.

I. EGo dico vobis (*loquitur Veritas Christus, Magister salutis æternæ*) Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ut cùm defeceritis, (*hoc est, ex hac vita excesseritis*) recipiant vos in æterna tabernacula. (*a*) Æterna enim tabernacula pauperibus in Christo constituta sunt, in quæ possint recipere eos, qui hîc ipsis amicè de bonis,

(a) *Luc.* 16.

quæ ſunt Dominica, largiuntur. Pauperibus primùm debebamus dare: nam illi debitores ſunt, ſecundùm hoc quod dictum eſt, Tota die miſeretur & commodat juſtus: (Pſ. 36.) & iterum, Qui miſeretur pauperi, fœneratur Deo. (Prov. 19.) Oportebat igitur primùm dare bonis illis debitoribus, qui centupla reddunt. (*b*) Nolite contemnere pauperes, non habentes quò redeant, non habentes quò intrent. Habent quò intrent, habent tabernacula, habent & æterna. Habent quò fruſtrà recipi optabitis, ſicut dives ille (*apud Lucam* 16.) ſi non eos nunc in veſtra receperitis. (*c*) Quia qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipièt: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. Et quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. (*d*) Quamquam nec ipſos juſti velut propriâ poteſtate quaſi gratificando re-

R 5

(b) *Theophylact. ibi.* (c) *Auguſt. ſerm.* 11. è 40. *novis.* (d) *Matth.* 10.

cipiant, ſed promiſſione atque permiſſione illius, qui eos conſilio præmonuit, ut ſibi amicos facerent, & qui ſeipſum paſci, veſtiri, hoſpitio recipi, viſitari in unoquoque minimorum liberatoris benignitate dignatus eſt. (*e*) Multum verò ad edomandam dantis ſuperbiam valet, ſi cùm terrena tribuit, verba ſollicitè Magiſtri cœleſtis penſet, qui ait: Facite vobis amicos &c. Si enim eorum amicitiis æterna tabernacula acquirimus, dantes procul dubio penſare debemus, quia patronis potiùs munera offerimus, quàm egenis dona largimur. Hinc per Paulum dicitur: Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum (2. Cor. 8.) Ut videlicet ſollicitè perpendamus, quia eos quos nunc inopes cernimus, abundantes quandoque videbimus: & qui abundantes aſpicimur, ſi largiri negligimus, quandoque inopes erimus. Qui itaque nunc temporale ſubſidium pauperi tribuit, ab eo poſtmodum perpetua recepturus, ut ita dicam, quaſi

[e] *Auguſt. l. 2. quæſt. evang. q. 38.*

ad frugem terram excolit, quæ, quod acceperit, uberiùs reddit. Restat ergo ut nunquam elatio surgat ex munere, quando videlicet dives ex eo quòd pauperi tribuit, agit ut in perpetuum pauper non sit. (*f*) *Vnde & Chrysostomus, ad eundem illum Apostoli locum :* Si vis, *inquit*, de abundantia accipere, de abundantia da ... Qui accipit eleëmosynam, maximè omnium usui est. Nam si pauperes non fuissent, id quo abundamus, saluti nostræ non cederet, non habentibus nobis quò pecunias conjiceremus : atque hic pauper qui omnium videtur maximè inutilis, idem omnium est utilis maximè. *Et inferiùs concludit :* Si accesserit pauper orans, magnâ benevolentiâ illum accipiamus. (*g*) *Et alibi agens de exhibente hospitalitatem :* Gratias, *inquit*, magis pauperi debet, quia dignatur accipere. Nisi enim essent pauperes, peccatorum difficilè sarcinam poneres. Medici illi sunt vulnerum tuorum ; manus eorum tibi medicamenta præstant ... Dedisti pecuniam, & peccata

[f] *Greg. l. 21. mor. c. 14.* [g] *Chrysost. in 2. Cor. hom. 17.*

ſimul exuiſti ... Majora igitur recipis, quàm largiris ; beneficiumq́ue potiùs accipere, quàm ferre probaris, Deoq́ue, non hominibus, fœneraris; divitiaſq́ue non minuis, ſed auges: minuis autem illas, niſi eroges, niſi indigentibus des. (*h*) Enimverò, *ut iterum idem Doctor,* Deus eleëmoſynam non ob hoc ſolùm inſtituit, ut paſcantur indigi, ſed etiam ut dantibus accreſcerent beneficia, atque adeò magis propter dantes, quàm accipientes... Et proptereà vera eleëmoſyna eſt, ſic dare, ut gaudeas te dare, puteſq́ue te accipere magis quàm dare. (*i*) Plus pauper, *ait Ambroſius*, tibi confert, cùm ſit debitor ſalutis. Si nudum veſtias, teipſum induis juſtitiam. Si peregrinum ſub tectum inducas tuum, ſi ſuſcipias egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Non mediocris iſta gratia. (*k*) *Quare idem Apoſtolus, eoſdem Corinthios invitans ad eleëmoſynam promptè & hilariter præſtandam, utitur voce benedictionis:*

(h) *Chryſoſt. in* 1. *Tim. hom.* 14. (i) *Idem ſer. de eleëm. & collat. in Sanctos poſt hom. in* 1. *Cor.* (k) *Ambr.* 1, *Offic. c.* 11.

Necessarium existimavi rogare Fratres ut perveniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem. (*l*) *Vbi Theophylactus*: Benedictio est quod datur. (Benedictio, inquam, *addit Cornelius noster*, tam pauperis, quàm tua) Nemo autem benedictionem dans contristatur. *Benedictionem tuam comitatur benedictio pauperis; de qua plus gaudebat pater pauperum Iob, quàm divites alii opibus suis*: Benedictio perituri super me veniebat: (*m*) *hanc porrò benedictionem pauperis excipit* benedictio Domini, *quæ* divites facit, (*n*) *&* in mercedem justi festinat, (*o*) & profectus illius successus habebit in æternum. (*p*) Agite igitur, dum licet, dispergite, date pauperibus: nec hujus rei procurationem vestris hæredibus committite. Deterrere vos possunt exempla multorum. Eleëmosynis propriæ manûs scalam vobis & ascensorium erigatis, ad illam supernorum civium mansionem, in qua est pax æterna. (*q*) Illud solùm vobiscum reportabi-

(*l*) 2. *Cor*. 9. (m) *Iob*. 29. (n) *Prov*. 10. (*o*) *Eccli*. 11. (p) *Ibid*. (q) *Petr. Bles. in ep.* 42. *Iob fine ad Henr. II. Angl. regem.*

tis, quod in cœlestes thesauros per manus pauperum præmisistis. (r)

II. Omnes pauperes quos videtis, potuit illos Christus pascere, quomodo per corvum Eliam pavit; tamen & ipsi Eliæ subtraxit corvum, ut à vidua pasceretur : non Eliæ præstitit, sed viduæ. Quando ergo Deus pauperes facit, quia ipse non vult ut ipsi habeant, quando facit pauperes, probat divites. Sic enim scriptum est: Pauper & dives (*Vulgata habet*, & creditor) occurrerunt (obviaverunt) sibi. (*Prov.* 29.) Ubi sibi occurrerunt? In hac vita. Natus est ille, natus est & ille, invenerunt se, occurrerunt sibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus: divitem, unde pauperem adjuvaret: pauperem, unde divitem probaret. (a) Dives & pauper duo sibi sunt contraria : sed iterum duo sibi sunt necessaria... Dives propter pauperem factus est, & pauper propter divitem: (b) ut abundantibus boni operis ac redemptionis suæ occasio non deesset;

[r] *Idem in c.* 1. *Iob.*
[a] *Aug. hom.* 13. *ex* 50. [b] *Idem de verb. Dom. serm.* 25.

ut benevolum locupletem etiam inopia aliena ditaret, & opulentior quisque ingentia de egente lucra reciperet; & mirifico summoque commercio, dum inopi misericordia temporali largitate confertur, inde æternus thesaurus compensetur... Noli ergo despicere inopem, qui cùm sibi pauper sit, facere te divitem potest. (c) Conclude eleëmosynam in ore pauperum: & ipsa pro te exorabit in die malorum. Tu taces, & eleëmosyna quam fecisti, deprecatur pro te. Quod in silentio fecisti, in ore pauperum publicatur... Parum est quod eis impertitur, & multum est quod ab eis nascitur... O commutatio! Panem dedisti esurienti, & percepisti regnum... Dedit itaque Christus nobis indulgentiæ indices. Quos? cœcos, claudos, debiles, atque hujusmodi homines omni auxilio indigentes; ut in his, quicumque sunt opulentiores, pium prætendant affectum, faciant sibi amicos de infideli mammona, id est, de brevibus rebus, ut cùm defecerint, recipiant eos in æterna taberna-

(c) *Cæsar. Arelat. hom.* 1.

cula. (*d*) Hæc continuè dico, neque dicere desinam, non tam pauperum, quàm animarum vestrarum curam gerens... A gehenna vos nemo eruet, nisi à pauperibus auxilium sequamini. (*e*) Sunt & hîc castra pauperum, & bellum, in quo pro te pauperes pugnant. Cùm enim stipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium; propitium autem facientes, pro barbaris dæmonum insidias repellunt; neque sinunt vehementer infestum esse malignum, neque semper irruere, sed ipsius solvunt potentiam. Hos itaque conspiciens milites quotidie pro te cum diabolo precibus & orationibus pugnantes, à temetipso pulchrum istud tributum exige, illorum alimenta. (*f*) Clamat Deus: Misericordiam volo. (Osee 6.) Qui quod vult Deus, Deo negat, à Deo sibi, quod desiderat, vult negari. Misericordiam volo. Homo, petit Deus, sed tibi, non sibi. Humanam misericordiam petit, ut largiatur divinam.

(d) *S. Laurent Novar. Ep. hom. de eleēm. to. 2. Bibli. PP.* (e) *Chrysost. hom. 32. ad Pop.*, (f) *Idem hom. 33. ad Pop.*

Eſt in cœlis miſericordia, ad quam per terrenas miſericordias pervenitur. Domine, inquit, in cœlo miſericordia tua. (Pſ. 35.) Dicturus cauſam in judicio Dei, patronam tibi miſericordiam, per quam liberari poſſis, aſſume... Per miſericordias pauperum, miſericordiam conſequamur, ut poſſimus eſſe de pœna liberi, de ſalute ſecuri... Qui facit miſericordiam, currit ad præmium: qui non facit, decurrit ad pœnam. (*g*) Bonum in illa tunc hora (*judicii*) tibi ſubveniet auxilium, ſi pauperibus atque mendicis hîc compaſſus fueris. Boni pro te apud Chriſtum tunc erunt advocati, qui hîc egeni à te enutriti, & miſericordiam conſecuti, protecti, ac conſervati fuerint. Boni & præſtantes pro te ibi conſolatores fratres Chriſti, pauperes, orphani atque pupilli, viduæ, advenæ, ac peregrini, inopes, debiles, cœci, captivi, derelicti, &c. exhibentes tunc Chriſto quæcumque ipſis hîc dederis. Boni tibi hi fratres iſtic reddentur, ſicut ſunt fratres Chriſti. (*h*) Hæ ſunt planè ambitioſæ apud

(g) *Chryſol. ſerm.* 8. (h) *Ephræm ſerm. in eos qui in Chriſto obdormierunt.*

Deum humani thesauri legationes, hæc potentia deprecandorum criminum, & vera suffragia. Sic auro demutamur, ut ex terrenis cœlestes, & ex mortalibus simus æterni. (*i*) Etenim eleëmosyna Deo amica est, & cominus ei semper assistit. Quos amaverit, his facillimè gratiam impetraverit ... Eadem vincula disrumpit, tenebras solvit, extinguit ignem, stridorem effugat dentium : huic multâ cum facultate cœlorum aperiuntur portæ. Ac velut regina ingrediente, nullus custodum ipsis in portis positorum audet interrogare, quæ sit, aut unde iter agat: magis verò illicò suscipiunt omnes. Sic & eleëmosyna omninò regina est ... pennata est, & levis, aureas habens alas, ipsos supra modum delectans Angelos ... Apud ipsum regalem thronum semper assistit, (*k*) non tantùm patrocinans, verùm & ipsi persuadens judici, ut reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat. (*l*) Faciens ergo, & fervens in ipsis bonis operibus misericordiæ, expectabis securus

[i] *Hilarius enarrat. in Ps.* 51. *ad illa*, Ecce homo qui. (k) *Chrysost. de pœnit. hom.* 7.
(l) *Idem hom.* 33. *ad Pop.*

judicium, non tam securus de justitia tua, quàm securus de misericordia Dei: quia & tu misericordiam prærogasti. (m) Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia judicium. (n) Neque delictorum memoria erit, ubi testimonium pietatis adfuerit. (o)

III. *Non habuit vir divinitùs illustratus Daniel, quod suggereret superbissimo regi Nabuchodonosor, vtilius consilium veniæ gratiæq; à Deo obtinendæ, quàm eleëmosyna seu pauperum aucupandi patrocinium:* Quamobrem, *inquit*, Rex, consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. (a) *Certè divino Spiritu afflatus Salomon diu antè pronuntiarat:* Redemptio animæ viri, divitiæ suæ. (b) Quoniam, *inquit Ambrosius*, qui pauperi donat, redimit animam suam. (c) Qui enim (*verba sunt Chrysostomi*) (d) intelligit super ege-

(m) *Aug. in Ps.* 147. (n) *Iac.* 2. (o) *Leo de jejun. Pentec. serm.* 1.

(a) *Dan.* 4. [b) *Prov.* 13. (c) *Ambr. ad Eccl. Vercel. ep.* 82. (d) *ho. in illud Ps.* 38. Frustra conturbatur. *to.* 1.

num & pauperem, is non solùm chirographum peccati delet, sed etiam confessionem ac promissionem accipit, vocem eam quæ ait, Qui dat egenti, Deo fœneratur; *auditurus posteà beatam illam vocem:* Venite benedicti *&c. Quam totis votis optandam, omni ope demerendam sententiam, ut felix audire aliquando posset Henricus Poloniæ Dux, & maritus sanctæ Hedwigis, hac extimulante amplum construxit Monasterium, sumptusque necessarios suppeditavit alendis mille personis, & exercendæ perpetuæ hospitalitati.* Ipsa *deinde Hedwigis, conjuge jam vitâ functo, eidem Monasterio contulit bona sua dotalia, ut & illius dotem augeret, & sibi spem certam felicis in morte & judicio sententiæ: in pauperes tam liberalis, ut sibi vix ad tenuem victum vestitumq; retinuerit, ex vero mater pauperum. Præter alia magna frequentiáque misericordiæ opera, tredecim mendicos tanquam Christum & Apostolos quotidie alebat; eosque, quotiescumque iter faciendum erat, sibi comites adjungebat, eorum primam curam habebat, ipsa eis ut famula ministrabat etiam flexis genibus: aliis verò pauperibus separatam culinam, ceterósque famulos aßignabat:* (*e*) *priùs*

(e) *Sur. 15. Oct. vitæ c. 6.*

potum non sumebat, quàm ex ejus scypho bibisset pauper ille, qui inter omnes deformior videbatur. (*f*) *Ita pauperum gratiam, patrociniúmque sibi demerebatur Hedwigis. Demerebatur & Ludovicus IX. Galliarum Rex sanctissimus; qui aliquando rogatus, cur tam largas tamq; continuas eleëmosynas in pauperes effunderet, atque adeò vilia mendicabula mensâ cibisque regiis dignaretur, modestè, ut Christianissimum decebat, respondebat, Quia ipsi sunt prætorii mei milites, custodes corporis, præsidiarii vigilesque tuendæ urbi meæ Parisiis, totiq; regno, atque adeò cœlo ipsi adipiscendo fautores. Cùm morbo laboraret, jubebat largiorem stipem illis elargiri, inde certius remedium expectans, quàm à medicorum arte multisque pharmacis. Quotidie autem centum & viginti mensâ regiâ reficiebat, quocumque terrarum abiisset; quolibet insuper sabbatho, aliquot pauperculorum seniorúmque pedes abluebat, etiam de genu, manibus regiis abstergebat, ac reverenter osculabatur, tum & aquam affundebat eluendis eorum manibus, quas & pariter osculo dignabatur, denique cibo regio ipsemet reficiebat, nudo capite. Atque*

(f) *Ibid. c.* 2.

ejusmodi animum in miseros pium, & liberalem manum, inter alia præclara monita, impensè filio suo Philippo commendavit. (g) *Ita misericordem animum induerat, & beneficam manum exporrigebat in egenos Robertus, Hugonis Capeti filius, Francorum Rex etiam piissimus. Is quocumque iret, carros plures pauperibus & mendicis onustos ducebat: sciscitantibus hujus tam insolitæ rei causam,* Eo, *inquiebat,* obsessum cum hisce copiis cœlum: edixit siquidem Deus, pauperes cœli portas reserare divitibus, qui ipsis & animum & thesauros aperuerint. Quis ergo in cœlum intrabit, si hic exercitus non intret, & ego qui ejus sum dux? *Solebat autem propriâ manu stipem pauperibus erogare, eorúmque manus deosculari. Die Iovis sancto, trecentis egenis porrigebat jusculum, panem, piscem, nummum argenteum, idque de genu.* (h) *Nec minus fuit Alphonsi III. Lusitanorum Regis, pauperibus benefaciendi, corumq; apud supremum Regum Regem patrocinii promerendi studium: continuis in egenos ac*

(g) *Binet de eleëm. c.* 12. *Sur. Martin, & alii, in vita.* (h) *Baron. an.* 1033. *Binet vita B. Amed. c.* 11.

profusissimis largitionibus eò sæpiùs redactus est, ut deficiente domi pecuniâ, ad Regiam dignitatem tuendam, imò necessitatem sublevandam, gemmas unionesque ex penitiori gazâ depromere ac distrahere opus habuerit. (*i*) *Vis & aliorum Regum ac Principum in egenos liberalitatem verè regiam, quia Christianam? Stephanus, hujus nominis I. Hungarorum Rex*, miseros ingenti charitate complexus, non dubitabat diademate ornatum caput, manusque sceptro armatas, ad horum pedes abluendos demittere, sportulamque in clientes ipse dispensare. Quare factum aliquando, ut certantibus his stipem auferre, barba etiam Regis spolium manibus appetentium cederet. Et hoc ipsum conquestus familiariter Virgini Matri Stephanus fertur, duriùs ab ejus militibus se acceptum, quàm ab hostibus sperare potuisset. Sed pilúmne ille amitteret, qui liberalem manum, multis annis à morte integram, toto corpore aliàs resoluto, ostendit, suavissimo fragrans odore, & liquore cœlesti scatens? qui ab ipsa Dei Genitrice, quam ardentissimè venerabatur,

(i) *Rhò hist. virt. l. 4. c. 13.*

ampliſſimo in ejus honorem conſtructo templo, quamque Hungariæ Patronam inſtituerat, receptus eſt in cœlum, ipſo ſuæ Aſſumptionis die. ? (k) *Similem liberaliſſimæ manûs integritatem ſancto Anglorum Regi Oſwaldo, & voto & ſpiritu prophetico prænuntiavit Aidanus Epiſcopus. Cùm etiam ipſo Paſchatis die; monitus in menſa Rex, ſtipem perrogare mendicos plurimos, non modò qui menſæ illati erant, cibos, ſed ipſam etiam lancem argenteam, in fruſta concisam, juſſit eis diſtribui: quod admirans Aidanus, qui fortè aſſidebat, apprehenſâ reverenter ejus dexterâ*, Hæc manus, *inquit*, nunquam putreſcat. *Et profectò ita fuit: caſus eſt in prælio à Barbaris ſanctus Oſwaldus, atque exſecta eſt ei manus cum brachio, manſitque nihilominus incorrupta, uſque ad ætatem Venerabilis Bedæ, qui poſteritati hoc miraculum tranſcripſit.* (l) *Quod ſubſidium ac patrocinium ab eleëmoſyna, cujus fueris cultor, non ſperes, cùm mortem etiam prohibeat, ne manum, quam experta eſt in pauperes beneficam, immitis alioquin & nulli*

(k) *Faſti Mariani*, *Breviar.* 20. *Aug.*
(l) *Beda l.* 3. *Hiſt. Angl. c.* 6. *Sur.* 5. *Aug.*

nulli parcens, corrumpat attingátve? Certè ad illam seu ejus rogatores recurrebat Elisabetha Lusitaniæ Regina, cùm gravi aliquâ calamitate (quæ est divina Iustorum exercitatio) conflictaretur: Ite, *inquiebat*; eleëmosynas, in manus, in sinus pauperum effundite; eorum gemitus & clamor serenum reducent. *Nusquam meliùs sibi esse sentiebat, quàm in nosocomiis, & obsequio pauperum abjectissimorum, quibus cibum ministrare, lectum sternere, pedes abluere, abstergere sordes, pus ulceráque iterum & iterum exosculari, pro summis delitiis habebat, cœlo ita probante, ut etiam putridum horrendéque fœtentem cujusdam paupercula pedem repetitis osculis prorsus sanaverit; (m) egregiè in isto pietatis Christianæ exercitio imitata magnam suam Materteram, Sanctæ Hedwigis sororem, Elisabetham Andreæ II. Regis Hungariæ filiam, Thuringiæ Dominam, à qua in Baptismo nominatam voluëre parentes, in præsagium futuræ sanctimoniæ; vel in hoc Materteræ etiam similis, quòd ut hæc adhuc parvula, quod domi piè clepserat mendicis erogandum, deprehensa in rosas converterat: ita ipsa, quas collecto sinu vestis*

S

(m) *Ribaden, & alii, in vita 4. Iul.*

ferebat pecunias pauperibus distribuendas, mutatas illicò in rosas obvio Regi & sciscitanti quid deferret, obtulerit hiberno tempore: multis etiam post mortem miraculis clara, præsertim suavissimo corporis, quod juvandis pauperibus impenderat, jam per annos circiter trecentos incorrupti odore; (n) *quo videlicet alliciantur posteri ad tam prona profusaque in pauperes, potentes utique apud Deum mortalium Patronos, charitatis imitamentum. Ad illos confugiebat S. Elzearius Ariani Comes, qui illa Iobi usurpare videtur potuisse:* Ab infantia mea crevit mecum miseratio; & de utero matris meæ egressa est mecum: (o) *Siquidem adhuc pendens ab ubere, intérque nutricis aliúsve gerulæ brachia, vagitum fletúmque non cohibebat, nisi in obvios mendicos stipem tenellulâ manu erogaret, aut, si necdum explicare manum posset fasciolis constrictus, erogatam ocellulis videret, gestiens tum demum toto corpusculo; ita præludebat innocentulus puer magnis assiduisque, etiam usque ad miraculum, in egenos largitionibus, quibus vitam omnem contexuit, leprosis quoque peculiari stu-*

(n) *In vita utriusque, 4. Iul. & 19. Nov. Brev. Rom.* (o) *Iob. 31.*

dio inserviens: ad quos, omissâ venatione, clanculùm digressus vnico famulo comitante, sex horridâ supra quàm dici potest, exesis tabe, salutem humanissimam impertit cum osculo, & vividam sanitatem. (p) *Eos Christi quæstores, opum nostrarum fidissimos depositarios, amplissimos nuncupabat remuneratores. Eorum favorem patrociniúmque exposcebat, etiam cùm à creditoribus, alióve humano casu premeretur: eleëmosyna ipsi auxilio & asyli loco erat; & quos patronos sibi conciliabat pia largitione, eorumdem advocatum & protectorem, tuendis promovendisque eorum causis, ipsemet egregiè agebat.* (q) *B. Amedeus, tertius Sabaudiæ Dux, pauperes, commilitones suos, imò advocatos, defensores, ac cœlestes trapezitas appellitabat, & summè venerabatur. His cibum, potum, pecuniam, emplastra ministrabat ipse; indignum ratus, cùm ipse possis, & honori tibi ducere debeas, Christo in pauperibus inservire, id præstare alienâ manu. Fuit, cùm, donato egenis civibus marsupio, etiam pretiosum torquem, insigne equestris Ordinis sui à Nativitate dicti, sibi è collo detractum, eleë-*

S 2

(p) *Sur. & alii* 27. *Sept.* (q) *Binet de eleëm.* c. 12, n. 14. *Idem in ejus vita c.* 9. & 14.

mosyna loco dedit, ad stuporem & indignationem aulicorum, mundi magis quàm cœli sequacium. (r) *Aliquando rogatus à quodam* Oratore, *haberétne canes venaticos? respondit omninò se habere, ostensurum die insequenti: atque tunc pauperum turmas mensis accumbentium ostendit:* Hi, *inquiens*, sunt mei canes venatici: his Angelos, cœlum, Deum ipsum venor, &, ut spero, assequar. (s) *Ita & tu venare, mi Christiane: certa præda est; cœlum te manet: sic amat ipse Deus capi & possideri.* Cole pauperes. *Gemmæ sunt cœli: ita eos vocabat sanctus Macarius Presbyter, qui acceptam ab Alexandrinâ quadam virgine, nimiùm acervandis divitiis intentâ, bonam pecuniæ vim emendis gemmis, totam in pauperes erogavit; quos ostendens, hyacinthos ac smaragdos pretiosissimos asserebat, quibus carius nihil sit: quo factum, ut & ipsa tenacitatem & avaritiam abjecerit.* (t) *Fove pauperes. Thesauri sunt Ecclesiæ, teste præclaro illo Martyre Laurentio: nam* cum ab eo quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisit demonstraturum se. Sequenti die pau-

(r) *Binet in ejus vita c. 9. & 10.* (s) *Ibid. c. 11.*
(t) *Pallad. hist. Laus. c. 6.*

peres duxit, dicens : Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et verè thesauri (*subdit Ambrosius, qui inde, etiam vasa sacra Ecclesiæ, in pauperum levamen, detrahenda esse, demonstrat*) in quibus Christus est, in quibus fides est, *&c.* (*u*) *Urbanus I. qui Valerianum & Tiburtium sacris undis abluit, cùm Cæciliæ virginis opes postularentur*, Has, *inquit*, manus pauperum jam asportarunt in cœlum. *B. Enfridus, Coloniæ ad sancti Andreæ Decanus, mirè in egentes beneficus*, pauperes cœlestes illos thesauros appellare consuêrat, quos tinea non demoliretur, fures non effoderent. (*x*) Cælestis igitur trapezitæ hæc mensa est (*eleëmosyna*) *infit Paulinus, Nolensis Episcopus*, ex opulentissimo divite, voluntate pauperrimus, & copiosissimè sanctus, *ut scribit Augustinus*, (*y*) thesaurum vitæ struens, & ad margaritam negotiandam Dei fœnus exercens : qui enim fœnerat pauperes Domini, præstolatur à Domino Deo retributionem mercedis æternæ. (*z*) *Intelligebat hoc Stanislaus Hosius Cardinalis, cujus domus magnis sem-*

S 3


(u) *Ambr. l. 2. offic. c. 28.* (x) *Rader. Virid. SS. p. 2. c. 5.* (y) *l. 1. de Civ. c. 10.* (z) *Paulin. ep. 32.*

per pauperum celebrabatur agminibus : his optimus senex, intento in Stanislaum Rescium dispensatorem suum digito, suavissimè dicebat : Vos verò hominem istum, ni largè dederit, intra cœli portas admittere nolitote. *Quòd si Rescius pecuniam domi esse, aliquando negaret :* Tu verò supellectilem distrahe, *respondebat Hosius :* nos enim eâ carere possumus, pauperes stipe non possunt ; nec verò unquam mihi pro Christo danti defuit, nec porrò deerit argentum. *(aa) Quare meritò sic ad quemdam Abbatem Bernardus :* Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitatorem. Ille gradus proficientium est ; hic perfectorum. Amicitia pauperum, regum amicos constituit : amor paupertatis, reges. Regnum denique cœlorum, pauperum est ; & est regiæ potestatis, beare pro voluntate amicos. Facite, inquit, vobis amicos *&c.* Vides quia magna dignitas, sancta paupertas sit : ut non modò patrocinium ipsa sibi non quærat, sed & ferat indigentibus. *(bb) Rogerio verò Siciliæ Regi,*

(aa) *Rhò hist. virt. l.* 4. *c.* 13.
(bb) *Bernard. epist.* 103.

suos quos mittebat, Religiosos commendans, ita scribit : Suscipe illos tanquam advenas & peregrinos, verumtamen cives Sanctorum, & domesticos Dei: parum dixi, cives; reges sunt. Ipsorum est enim regnum cœlorum, jure & merito paupertatis : (*cc*) regi terræ, in terra viventium, reddere poterunt pro his terrenis vitam & gloriam sempiternam. (*dd*) Hi bonorum quæ speramus & expectamus, sunt promi condi. Hi janitores regni cœlorum, qui fores aperiant benignis & bonis, occludant malis & inhumanis. Hi & vehementes sunt accusatores, & optimi patroni. Accusant autem, & defendunt, non oratione, sed aspectu ipso, dum conspiciuntur à judice. (*ee*) *Hos ergo fac tibi amicos.*

(cc) *Idem ep.* 208. (dd) *ep.* 209.
(ee) *Nyssen. de pauper. amand. orat.* 1.





CONSIDERATIO XXIII.

CHRISTVS IN PAVPERE.

I. *CHristum in paupere pasci, vestiri, visitari, aliisq; misericordiæ operibus foveri, luculentissimè profitetur Christus ipse in suo Evangelio.* Qui recipit vos, *ait pauperibus suis Discipulis*, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit. (*a*) Cùm autem venerit filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli ejus, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, &c. Tunc dicet Rex his qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c. Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his qui à sinistris erunt:

(a) *Matth.* 10.

Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c. Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. (b) *Ubi Euthymius*: Vide quomodo de solâ humanitate sive amore erga proximos disserat, & ab hac sola justos honore dignos judicat, peccatores verò supplicio. Non quòd cetera justorum bona opera, vel peccatorum delicta, sine examinatione vel discussione relinquenda sint... Sed nunc de sola hac virtute disserit, confirmare volens quòd hanc maximè requirit, & hanc præ omnibus expetit, utpote Christianis maximè necessariam. Cujusque enim Christiani insigne, quo dignosci potest, est dilectio.... Hujus autem optima pars est pauperum amor, & erga proximum misericordia ac compassio.... Fratres autem vocavit pauperes, ut qui similem cum eis susceperit naturam & abjectionem, vel etiam tanquam eos, qui communicaverunt paupertati ip-

(b) *Matth.* 25.

sius.... Meritò qui misericors fuit, regnum possidebit, quia charitatem, quæ virtutum caput est, opere complevit: ejus enim pars est eleëmosyna. Qui verò fuit immisericors, in ignem ablegatur: quia loco dilectionis, odium possedit, quod caput est vitiorum, & ejus præcipua pars est inhumanitas. Ille quoque misericordem humanumque Deum imitatus est; hic autem immisericordem inhumanumque diabolum. (c) Quia enim, *addit Theophylactus in eundem locum*, compassionis expertes sunt diaboli, & hostiliter & inimicè erga nos affecti sunt: meritò idem supplicium habent, qui ejusdem voluntatis sunt, qui & propriis operibus maledicti facti sunt. ... Horresce igitur, ô homo, cùm cogitaveris hoc, quòd illi neque ut scorta, neque ut latrones, neque ut qui grave aliud flagitium perpetrarunt, puniuntur, sed ut hi qui bonum non fecerunt ... Fuge immisericordiam, & fac eleëmosynas.. Pasce Christum, qui esurit salutem nostram. (d) Quid

(c) *Euthym. in Matth. sup.*
(d) *Theophyl. ibid.*

potuit nobis majus Christus edicere? Quomodo magis potuit justitiæ ac misericordiæ nostræ opera provocare, quàm quòd præstari dixit sibi, quidquid egenti præstetur & pauperi: & se dixit offendi, nisi egenti præstetur & pauperi; ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur: & qui non cogitat in labore atque in egestate conservum, vel Dominum cogitet in ipso illo quem despicit, constitutum. Et idcirco, Fratres charissimi, Domino obsequium præbeamus: demus Christo vestimenta terrena, indumenta cœlestia recepturi: demus cibum & potum sæcularem, cum Abraham, Isaac, & Iacob, ad convivium cœleste venturi. (*e*) Ne quis tamen forsitan dicat, O beati, qui Christum suscipere in domum propriam meruerunt! Noli dolere, noli murmurare, quia temporibus natus es, quando jam Dominum non vides in carne: non tibi abstulit istam dignationem. Cùm uni, inquit, ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. (*f*) In his enim omnibus

(*e*) *Cyprian. de oper. & eleëm.*
(*f*) *August. de verb. Dom. serm.* 26.

tibi occurrit Chriſtus, qui cùm ſit incomprehenſibilis ſecundùm Deïtatis naturam, invenietur tamen abs te per opera miſericordiæ. Ipſe enim dixit: Quia eſurivi, & dediſtis mihi manducare, &c. Hîc in iſtis eſurientibus, ac ſitientibus, & nudis, ægris, ac vinctis, Chriſtus ſe ſuſcipere profitetur. Quid ergo agis, ô dives? quid cogitas? quid deliberas? Chriſto eſuriente, tu horrea tua claudis? Imò non claudis, ſed minora deſtruis, & majora reædificas? Chriſto indigente veſtitu, tuæ veſtes tineis conſumuntur? Chriſto egente, tu aurum quæris, aurum deſideras, aurum recondis, omnia aurum vides, aurum tibi vigilanti cogitatio eſt, & ſomnia dormienti? (*g*) Ille propter te tantam gloriam exuit; tu autem neque pane dignum cenſes.: ſed canis quidem impletus eſt; Chriſtus autem fame perit. (*h*) Ille pro nobis animam poſuit, & pretioſum ſanguinem propter nos effudit, qui non eramus amici: nos autem neque pecunias propter ipſum effundimus, ſed

(g) *Ambr. ſerm.* 81. (h) *Chryſoſt. hom.* 17. *in* 2. *Cor.*

eum despicimus nudum & peregrinum, pro nobis mortuum ... Nónne si innumeras haberemus animas, omnes oportuerat pro eo ponere? Atqui nec ita quidquam beneficio dignum fecissemus. Ipse namque prior benefaciens manifestam exhibet bonitatem ... At nos nec ista trahunt, sed omnibus ingratiores sumus; servis quidem, & mulis, & equis, torques aureos circumponentes, Dominum verò nudum circumeuntem, & fores ex foribus mutantem, & semper in exitibus morantem, & manus porrigentem, despicientes, frequenter autem & torvo respicientes oculo, licèt & hoc ipsum propter nos patiatur. Libenter enim esurit, ut tu pascaris: & nudus circumit, ut incorruptionis indumenti tibi præbeat occasionem. (*i*) Vult in paupere sibi dari... Parva poscit, maxima redditurus ... Homo, da in terra pauperi, quæ tibi manere vis in cœlo. (*k*) Da in terra Christo, quod tibi reddat in cœlo. (*l*) Omni autem petenti te, tribue; (*m*) sed maximè do-

(i) *Chrysost. hom. 32 ad Pop.* [k] *Chrysol. serm 9.* (l) *Aug. de verb. Dom. serm. 25.* (m) *Luc. 6.*

mesticis fidei: nudum vesti, esurientem ciba, ægrotantem visita. Quotiescumque manum extendis, Christum cogita. Cave ne mendicante Domino Deo tuo, alienas divitias augeas. (*n*) Mensulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Christus conviva noverit. (*o*) Jacentes pauperes, tanquam nullius sint pretii, ne despexeris. Considera quinam sint, & eorum cognosces dignitatem. Servatoris nostri personam induerunt. (*p*)

II. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. (*a*) Et quæ est intelligentia, ubi est professa paupertas? Vis est intelligentiæ, si rimetur viscera, si deprehendat occulta, si tecta nudet .... Oremus, Fratres, ut ipse intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere sic demonstrat. Quòd ipse qui cœlum tegit, sit nudus in paupere; quòd in esuriente esuriat saturitas rerum; quòd sitiat in sitiente fons fontium; intelligere quomodo non magnum est? Quomodo non

(n) *Hieron ep. ad Furiam viduam.* (o) *Idem ep. ad Nepotian.* (p) *Nyssen. de pauper. amand. orat.* 1.

(a) *Ps.* 40.

beatum intelligere, quòd ei sit ampla paupertas, cui angustum est cœlum? qui ditat mundum, quòd egeat in egente? quòd frustum panis, aquæ calicem, dator omnium quærat? quòd se Deus, amore pauperis, sic deponat, ut non adsit pauperi, sed ipse sit pauper? Hoc cui videre dederit Deus, ipse videt. Sed quomodo aut in se transfuderit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse jam nobis. Esurivi, inquit, & dedistis mihi manducare. Non dixit, Esurivit pauper, & dedistis illi manducare: sed, Esurivi ego, & dedistis manducare mihi. Sibi datum clamat, quod pauper acceperit: se manducare dicit, quod comederit pauper: quod bibit pauper, sibi testatur infusum. O quid agit amor pauperis! gloriatur in cœlo Deus, unde pauper erubescit in terra: & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur injuria. Dixisse suffecerat, Dedistis mihi potum: sed præmisit, Esurivi, Sitivi: quia parvus fuisset amor pauperis, quòd pauperem suscecepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset; & certè verus amor non

nisi passionibus probatur. Verus amor est, fecisse suas angustiantis angustias: nimis est, quòd sapit Deo pauperis cibus. Qui totius creaturæ bona non esurit, saginatum se in esca pauperis, prophetizat in regno cœli, coram omnibus Angelis, in conventu resurgentium. Quòd Abel passus sit, quòd servavit mundum Noë, quòd Abraham fidem suscepit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet: & *hoc* clamat solùm, quòd comedit pauper. In cœlo prima est esurientis annona: prima stipendia pauperis tractantur in cœlo: erogatio pauperis prima divinis scribitur in diurnis. Beatus, cujus nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cœlo. (*b*) Quòd si, qui Prophetam accipit, mercedem Prophetæ accipiat: quid ergo mercedis accepturus est, Christum ipsum suscipiens? ... Qui pauperem suas in ædes induxerit, Christum ipsum secum adduxit, qui ait: Quod fecistis uni ex minimis hisce, mihi fecistis: (*c*) Talibusque eum verbis in hora judicii compellabit Chri-

(b) *Chrysol. serm.* 14. (c) *Ephræm de amore pauper.*

ſtus, Benè veniſti, ô amice bone & fidelis: benè veniſti, educator & altor meus, hoſpes meus, & protector meus, gratiam habeo bonæ menti & voluntati tuæ, & non ſum oblitus charitatis tuæ. Memini, quanta mihi bona præſtiteris. Novi, quoties me refeceris. Recordor, quomodo me in domo tua curaveris. Quæ dum ad eum ait Chriſtus, tenet ipſum manu coram omni illa celebritate, coram Angelis & Archangelis, & omni Principatu ac Poteſtate, coram omnibus Juſtis, & Prophetis, & Apoſtolis, ac Sanctis: ſtatuenſque hunc in medio, ſimul prædicat, & oſtendit eum omnibus, ac dicit: Hic homo eſurientem me aliquando conſpexit & pavit: ſitientem, & potavit: frigeſcentem, & cooperuit me: hoſpitem, & ſuſcepit me, &c. proptereà & ego dico ipſi: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. (Luc. 19.) perfruere delitiis paradiſi mei; ingredere in regnum Domini tui: ingredere in vitam æternam. (*d*) Si

(d) *Ephræm ſerm. in eos qui in Chriſto obdormier.*

fortè Rex quempiam de turba famulorum appellaverit, atque ad eos dixerit : Reddite huic gratias meo nomine quamplures, qui me inopia laborantem nutrivit, & hoſpitio excepit, qui mihi beneficia in tempore anguſtiæ permulta contulit : num certatim quiſque accurrens pecunias omnes ſuas expenderit ejus causâ, cui Rex gratias egerit ? Num ſe illi quiſque commendare atque amicitiâ jungere ſtuduerit ? Vidiſtis ſermonis virtutem ? Si ergo apud hominem Regem tantum honoris res ipſa tribuit, cogita Chriſtum in illa die coram Angelis omnibuſque Virtutibus vocantem ac dicentem : Hic me in terra ſuſcepit hoſpitio ; hic mihi innumera contulit beneficia ; hic me peregrinum exiſtentem confovit inducens. Cogita de cetero fiduciam inter Angelos, inter cœleſtes choros gaudium. Igitur cui teſtimonium Chriſtus perhibet, non fiduciam ſuper Angelos habuerit ? Magna igitur res eleëmoſyna, Fratres. Hanc amando faciamus, cui nihil æquale : potens eſt enim peccata alia delere, judiciumque propul-

ſare. Te tacente, ſtat & patrocinatur: imò verò nihil verbis eſt opus, cùm ipſa pauperum aſtent ora. (*e*) Per ipſos enim nunc accipit Chriſtus, & tunc pro ipſis rependet; (*f*) pro modicis rebus, pro mortalibus, pro putribilibus, pro terrenis, quæ æterna ſunt & incorruptibilia, & ſine fine manentia. Quid multa dicturus ſum? Se promittit, qui promittit... Dat de cœlo, accipit in terra. Ipſe dat, ipſe accipit. (*g*) Cùm ſit Dominus, & verus Dominus, & bonorum noſtrorum non egeat: tamen ut aliquid etiam erga ipſum faceremus, eſurire dignatur in pauperibus ſuis. (*h*) Ad tribuendum ergo pigri cur eſtis, quando hoc jacenti in terra porrigitis, ſedenti in cœlo datis? (*i*) qui tantum nobis pauperes commendavit, ut ſe in ipſis veſtiri, ac ſuſcipi, teſtetur, & paſci. (*k*). Et ideò nos curam pauperum vult habere, ut in futuræ retributionis examine, miſericordibus, quam promiſit, miſericordiam largiatur. (*l*) Non

(e) *Chryſoſt. hom.* 9. *de pœnit.* (f) *Paulin ep.* 32. (g) *Aug. hom.* 29. *ex* 50. (h) *Aug. ſerm.* 40. *inter novos.* (i) *Gregor. hom.*40 *fine.*(k) *Leo ſerm.* 1. *de Collectis.* (l) *Idem ſerm.* 2.

timeatur in iis expensis defectio facultatum, quoniam ipsa benignitas, magna substantia est: nec potest largitatis deesse materies, ubi Christus pascit & pascitur. (*m*) Pars enim corporalium facultatum, quæ indigentibus ministratur, in divitias transit æternas: & illæ opes de hac largitate pariuntur, quæ nullo usu minui, nullâ poterunt corruptione violari. (*n*) Prompta ergo & facilis, Dilectissimi, apud nos largitas esse debet: si credimus, sibi unumquemque id præstare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cœlo, qui Christum pascit in paupere. (*o*)

III. Qui dixit Saulo, Quid me persequeris? ipse tibi dicit, Pasce me. In terra Saulus sæviebat, & Christum in cœlo tangebat. Sic & tu in terra eroga, & Christum in cœlo pascis. (*a*) Vides quia Abraham Deum recepit hospitio, dum hospites quærit? Vides quia Lot Angelos suscepit? Qui scis an & tu cùm suscipis hos-

(m) *Leo de Quadrages. serm.* 10. (n) *Idem de jejun. X. mens. serm.* 5. (o) *Idem de Collect. serm.* 1.

(a) *Aug. serm.* 32, *è* 40. *novis.*

pitem, suscipias Christum? Licèt in hospite sit Christus, quia Christus in paupere est, sicut ipse ait: In carcere eram, & venistis ad me, &c. (b) *S. Iulianus, cognomento Hospitator, Angelum, aut etiam Christum ipsum, ut pauperculum & leprosum peregrinum, è ripa fluminis ulteriore, intempestâ nocte, cœlo frigidissimo (velut alios solebat peregrinos, quibus & hospitalem erexerat domum) transvehit in humeros sublatum, & igne ciboq; recreatum, in suum ipsemet collocat lectulum. Ab eo, pòst paulò, sumptâ eleganti formâ, & in æthera sese attollente, audit dimissum gemini parricidii scelus, ipsumq; ac Castellanam conjugem propediem Superis jungendos.* (c) *S. alter Iulianus, Conchensis in Hispania Episcopus, in pauperes admodum liberalis, Christum sub egeni habitu excipit, è cujus deinde vultu advertit emicare radios solis æmulos, tum & hæc ex illo audit:* Amice mi Juliane, gratias tibi ago, qui tantò studio, & charitate, pauperes meos sustentes: præmium tibi hujus charitatis, vitam æternam

(b) *Ambr. l. 2. Offic. c. 21.* (c) *S. Antonin. Hist. p. 1. tit. 6. cap. 25. §. 4. Petr. de Natal. 12. Februarii.*

promitto. (*d*) *Ludovicus Blosius, Abbas Latiensis, vir ab illustri prosapia, scriptis, virtute celebris, ita in hospitibus & peregrinis Deum agnoscebat, ut, cùm aliquantulo tempore hospitibus domus ejus & mensa caruisset, sic cum uno ex Conventualibus (ut vocant) famulis piè conquestus sit:* Quid hoc est, Anselme? (*id ei nomen erat*) An nostri obliviscitur Deus? an irascitur, qui nos tanto tempore in hospitibus non invisit? (*e*) *Christum ipsum in pauperibus reipsa intellexit Magnus ille Gregorius, ab eleëmosynis ad summum Pontificatum divinitùs electus.* Cùm enim ad mensam suam quotidie peregrinos quoslibet invitaret, inter eos die quadam unus accessit, in cujus manibus dum ipse, ex humilitatis ministerio, aquam fundere vellet, conversus urceum accepit: sed repentè eum, in cujus manibus aquam fundere voluerat, invenire non potuit. Cumque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: Ceteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in me-

(d) *Bolland 28. Ian. vitæ c. 2.*
(e) *Bolland. 7. Ian. vitæ. c. 22.*

ipſo ſuſcepiſti. (*f*) *S. Ivo Sacerdos, pauperum advocatus & pater, quotidie hoſpites eos excipiebat & convivas, nec rarò, veſtitu ſe ſpolians, induebat. Quadam die, extrema, ut omninò videbatur, penuriæ mendicabulum in ædes admittit, & ad menſam juxta ſe aſſidere jubet. Conſidet mendicus, & parcè guſtato cibo, mox menſâ conſurgens, amabili candore radians*, Dominus vobiſcum, *ait, & oculis ſeſe ſubducit.* (*g*) *Ita ſe in pauperibus excipi, paſci, veſtiri, teſtatur, atque adeò gloriatur Filius Dei*, qui propter nos egenus factus eſt. (*h*) Martinus cùm nihil haberet præter arma, & veſtimentum quo tegebatur, Ambiani, pauperi ac nudo ab eo petenti ut Chriſti nomine ſibi eleëmoſynam tribueret, partem chlamydis dedit. Cui ſequenti nocte Chriſtus dimidiata illa veſte indutus apparet, hanc mittens vocem: Martinus Catechumenus hac me veſte contexit. (*i*) *Petrus Telonarius nauta egenti & nudo à naufragio veſtem donarat; & ecce eâdem ipſa veſte indutum videt Chriſtum Do-*

(f) *Ioan. Diacon. l. 2. vitæ c. 22.* (g) *Sur. & alii 19. Maii.* (h) *2. Cor. 8.*
(i) *Brev. Rom. 11. Nov.*

minum, auditq́ꝫ sibi gratias agentem. Quâ Christi gratitudine ita permotus ille fuit, ut & egenus ipse fieri, ac in servum venumdari voluerit, Christo etiam servitutis istius nummos admittente. (k) *Cum theologicis studiis Parisiis operam daret B. Iordanus, secundus posteà Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, pauperi eleëmosynam petenti, cùm aliud ad manum non esset, cingulum donavit; mox templum ingressus, præcinctum eo videt Christi crucifixi simulachrum.* (l) *Sancta Catharina Senensi, quæ pauperi crucem argenteam, quando aliud non habebat, donaverat, nocte insequenti apparuit Christus, dixitq́ꝫ se crucem illam in die judicii ostensurum in signum pietatis. Eidem iterum se Christus visendum præbuit cum ea tunica, quam ipse pauperis habitu ab illa acceperat, gemmis jam coruscante, promittens ei vestem invisibilem, quæ ab eâ arceret quodlibet noxium utriusque hominis frigus.* (m) *Sancta Iutta mundum omnem muliebrem, quem à parentibus & ipsis illustribus nobilissimum acceperat, in egenos largâ manu distribuerat, eoq́ꝫ devenerat, ut & necessariis*

(k) *In vita S. Ioan. Eleëm.* (l) *Sur. Bolland.* 13. *Febr. c.* 1. (m) *Sur.* 29. *April.*

riis statui suo careret, atque adeò mendicare ipsa non sine suorum risu cogeretur. Sed laudavit Christus hanc prodigalitatem conspicuus, adjecit illud insigniter amantis & benefacientis: Omnia mea tua sunt, & tua mea. *Atque iterum illi visus, potestatem fecit ex divite cordis sui ærario, quas luberet, opes depromendi: expetiit illa & deprompsit sapientiæ sanctioris thesauros, in ipsa etiam adyta sanctissimæ Trinitatis sese penetrans mirabili intelligentia. (n) Martyrius Monachus leprosum oppidò lassum & fœdè horridum pallio obvolverat, & sublatum in humeros ad monasterium latus deportabat: ad fores ut perventum est, exilit qui leprosi speciem induerat, apparet Christus ipse, atque cœlos repetens ei clarè denuntiat:* Martyri, tú me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cœlos. *(o)* Qua in re *(addit Gregorius Magnus istud referens)* pensandum est nobis, quantum fraterna compassio valeat, quantum nos omnipotenti Deo misericordiæ viscera conjungant. . . Ecce autem Redem-

(n) *Bzov. tom.* 13. *Ann. Eccl. an.* 1260. *n.* 21. *Fasti Mar.* 5. *Maii.* (o) *Greg. hom.* 39. *in Evang.*

ptori generis humani ad ædificationem noſtram minimè ſufficit, quod in extremo judicio dicturum ſe eſſe perhibuit: Quamdiu feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis: ut videlicet demonſtraret; quia quiſquis nunc bona opera indigentibus exhibet, ei hæc ſpecialiter impendit, cujus hæc amore exhibuerit. *Hoc præclarè noverat ſancta Margareta Scotorum Regina, quæ velut optima pauperum & orphanorum mater & nutrix, intuitu Chriſti, novem infantulos orphanos primâ diei horâ ad ſe introductos, cibis mollioribus in ora manu regiâ immiſſis reficiebat, ſubmiſſis etiam in terram genibus. Præterea quot diebus trecentos pauperes in aulam inducebat, oſtiiſq; probè clauſis, tum ipſa ab una parte, tum Rex ab altera, Chriſto in pauperculis illis ſerviebant; oblatis cibis optimè conditis. Denique ante menſam, viginti quatuor alios, etiam laceros ac pannoſos, cibo potuq; lautiore recreabat.* (p) *Idem probè intelligebat ac præſtabat ſancta Eliſabetha, Regis Hungariæ filia, Ludovici Thuringiæ & Haſſiæ Lantgravii conjux, de qua etiam Conſideratione præced. & hoc, præter alia*

[p] *Sur.* 10. *Iun. vitæ c.* 8.

complura, memorabile: Mendiculo importunè stipem petenti, cùm aliud tunc quod largiretur non haberet, pallium ipsum, quo tegebatur, nobile ac regium donat. Sciscitanti Lantgravio, ubi pallium esset, Ecce, *inquit*, ut de pertica pendet. *Atque ita pendere visum est: quo luculento prodigio testabatur cœlum eam vestem à Christo acceptam & repositam.* (q) *Eadem, absente fortè marito, leprosum balneo ablutum, in mariti lecto, ut quiesceret, deposuerat. Redit lantgravius expectatione citiùs, rem totam ab æmulis, omnia in pejus interpretantibus, intelligit, stupet, furit, moxq́ nudato ense ad cubiculum, ad torum accurrit: stragula explicat, aperit, ejicit, mox leprosum confossurus. Sed (ô miraculum! ô amor indulgentis, & miserentis Dei!) non jam leprosum, sed ipsum Christum crucifixum jacentem videt, stupet, pertentat manu, & culpam deprecatus, ad conjugem revolat; eiq́ omnia permittit, faceret porrò illa deinceps quod vellet.* (r) Igitur quando videris pauperem fidelem, *inquit Chrysostomus*, Corpus Christi, aram Christi, videre te existima, & reve-

T 2

(q) *Wading. to. 1. Ann. Min. an. Relig.* 19. *n.* 53.
(r) *Wad. sup. an. Relig.* 22. *n.* 13.

rere. (s) Pauper, Christi vicarius est, *ait Petrus Blesensis*; & sicut se in eo contemni erubescit, ita se in eo recipi delectatur. (t) *Unde monet S. Valerianus Cemeliensis Episcopus, ut* omne misericordiæ studium convertamus ad Dominum: in cujus amore non otiosè aut negligenter pauperum tractandæ sunt lacrymæ; ne ille qui totum orbem solet pascere, ad nostram confusionem inter mendicos videatur esurire. .... Nec longè tibi quærendus est Dominus, si non sis avarus. Expectat nos ecce foris, cum illa suorum turba famulorum. Non enim tibi errandum est oculo, ut dubites circa quem potissimùm opus miserandæ erogationis impendas. Ipsum scias esse Christum nostrum, quem videris nudum, quem aspexeris cœcum, quem offenderis claudicanem, quem pannis involutum, quem videris sordida veste contectum. (u) *Ita sciebat, ita se liberalem exhibebat & reverentem erga pauperes, seu Christum in pauperibus, magnus ille eleëmosynarius Ioannes, qui rogatus cur uno eodémque*

S T

(s) *Chrysost. in 2. Cor. hom. 20.* (t) *Petr. Blef. ep. 91.* (u) *Valerian. hom. 7.*

die redeunti eidem & stipem importunè petenti iterum tertiúmque largiretur, Ne fortè, *respondebat*, sit Dominus meus Christus. (x) *Ita Ludovicus Rex sanctissimus, solitus mensæ suæ pauperes adhibere, eorum reliquias non rarò sumere, cibos sibi appositos illis offerre, improbantibus tantam demissionem velut indignam majestate regia, respondebat*: Ego in pauperibus revereor Christum, qui dixit: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Addebátque*: Pauperes cœlum sibi comparant patientiâ; divites verò eleëmosynâ & reverentiâ, qua pauperes ut membra Christi amant & venerantur. *Eodem animi sensu, & reverentiâ in Abbatia regii montis, à se magnificè conditâ & ditatâ, cuidam Monacho horrendùm leproso, ut visu vix tolerari posset, prandenti in os cibum potumq; inferebat latus, etiam de genibus.* (y) *Ita sentiebat; ita venerabatur in pauperibus Christum, castissimus Anglorum Rex Eduardus, in egenos munificus: petenti stipem peregrino, cùm abesset largitionum præfectus, nec aliud in promptu haberet, pretiosum annu-*

(x) *Leont. in vita cap. 8.* (y) *Sur. & alii 25. Augusti.*

lum donavit. Idem Hibernum, usu pedum miserè captum, sordibus plenum, in humeros regios sustulit, in ipsam S. Petri (qui sanitatem infirmo promiserat, si Eduardi dorso deferretur) celebrem in urbe regia ædem intulit, nihil defluentem in regias vestes saniem, nihil moratus mundi sapientium sannas. (z) *Pariter sentiebat sancta Brigida virgo Scota, quæ quidquid habere, quidquid reperire poterat, id omne sublevandæ Christi in pauperibus inopiæ largiebatur. Rogata ab ipso Rege (cui eam vendere destinarat pater, ut ejus tandem manibus, quæ habebat, subduceret) cur gladium patris abstulisset, & pauperi dedisset, respondit:* Ego verò Christo illum dedi. Et certè, si & te Dominum meum Regem, & parentem meum Deus à me peteret; modò possem, utrumque cum facultatibus omnibus illi darem. (aa) *Ita intelligebat super egenum & pauperem B. Petrus à Luxemburgo, qui à puerulo liberalissimus, quæcumque domi reperire ac innocenti furto clepere poterat, etiam carnes è cacabis, in mendicos tribuebat; domesticis increpantibus dictitans factam sibi à Patre potestatem, utique om-*

(z) *Sur. & alii* 5. *Ian.*
(aa) *Sur.* 1. *Febr.*

nibus communi & cœlesti, ut ingenuè patri suo Guidoni Comiti explicuit ab eo deprehensus : qui etiam explicatâ pueri veste, non carnes, quas absconderat, sed rosas, ut gestare se dixerat, fragrantissimas vidit, & in armarium sanctius asservandas detulit. Cardinalis adolescens factus, nulli rei domesticæ parcebat, pauperum gratiâ; monitus ab œconomo, respondebat nullum esse melius tutiúsque gazophylacium, manu & sinu pauperum. Fuit, cùm nihil omninò, quod daret roganti in plateâ mendico, suppeteret. Detractum illicò digito annulum jussit venumdari, & pretium sibi afferri quod largiretur. (*bb*) *Noverat illud Augustini :* Date omnibus, ne cui non dederitis, ipse sit Christus : cuíve dederitis, ipse sit Christus. (*cc*) *Hocidem præclarè noverant, virgineus ille* Matris misericordiæ MARIÆ *cultor Casimirus, filius, frater, & patruus Regum Poloniæ; qui totus in juvandis tuendísque Christi causâ pauperibus, viduis, & orphanis, meritò audiit* Pater & defensor pauperum & miserorum : (*dd*) *B. Carolus, cognomento Bonus, Sancti Canuti Danorum Re-*

(bb) *Simon Martin* 5. *Iul.* (cc) *Aug. hom.* 39. ex 50. (dd) *Martin, Turr. le Févre* 4. *Mart.*

gis erga pauperes pariter profusi filius, Flandriæ comes, qui cellas, totásque ædes suas nunquam non patere egenis omnibus volebat; nunquam ædem sacram ingrediebatur, quin stipem mendicis erogasset, nudis etiam pedibus incedens; atque egenorum deosculatus manus eâ reverentiâ, perinde atque si Christo ipsi obsequium præstitisset; in ipso charitatis Christianæ exercitio gloriosè immortuus, illatâ cæde ab avaris hominibus, quorum oppleta frumento granaria recludi jusserat & redemerat, sublevandæ communi pauperum inopiæ: (ee) *Sanctus alter Carolus, è nobili Borromæorum familia, qui præter alia,* Uritano Principatu vendito, pretium universum ad quadraginta aureorum millia, unâ die in pauperes erogavit; viginti millia, quæ sibi fuerant legata, distribuit; quo tempore pestis Mediolani grassabatur, ipse Archiepiscopus domesticam supellectilem, ne relicto sibi lectulo, in eosdem alendos contulit, super nudâ in posterum tabulâ decumbens: (ff) *Thomas Villanovanus, qui* adhuc puer, ut nudos operiret, propriis vestibus non

(ee) *Turr. le Févre 2. Mart.*
(ff) *Brev. Rom. 4. Nov.*

ſemel ſeipſum exuit : exactâ pueritiâ, patre defuncto, univerſam hæreditatem egenis virginibus alendis dicavit; Valentinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, amplos reditus in egenos diſperſit, ne lectulo quidem ſibi relicto ; nam eum, in quo decumbebat, cùm in cœlum evocaretur, ab eodem commodatum habuit, cui paulò antè eleëmoſynæ loco donaverat : (gg) *Robertus Cardinalis Bellarminus, qui Chriſtum in pauperibus intelligens, eos amiciſſimè ſalutabat, ſolabatur, reficiebat ſuo etiam ſe victu fraudans, admittebat in geſtatoriam ſellam, in rhedam, deducturus ad noſocomium, ſibi omnium parciſſimus, ut haberent omnia egeni; civi extremè egenti, quia præſens pecunia non ſuppetebat, detractum ex digito annulum, dignitatis inſigne, dedit, adjectâ (ad tollendam furti ſuſpicionem) ſyngraphâ, ut eum ſuo nomine oppigneraret; alteri argenteum ſuum atramentariolum itidem oppignerandum tradidit; quin & Capuæ, cujus erat Archiepiſcopus, rhedam ipſam cum equis divendi juſſit, ne deeſſet unde egenis ſubveniretur.* (hh) *Ita præclari illi charitatis heroës*


(gg) *Brev.* 18. *Sept.* (hh) *In vita.*

Christum in pauperibus agnoverunt, in pauperibus curarunt; ita ceteri omnes, quos Christiana virtus Dei filios & hæredes, cohæredes autem Christi reddidit: Non potest enim fieri, *ut egregiè perorat aureus Ecclesiastes*, summam animam non etiam misericordem esse, & misericordem non esse summam. *(ii)* Eleëmosyna est propria Sanctorum illustrium virtus, estque signum prædestinationis Dei. *(kk)* Induite vos ergo, *ait Paulus*, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ. *(ll) Et Isidorus Hispalensis Episcopus:* Quidquid habes, habeto ad misericordiam. Non eligas, cui miserearis, ne fortè prætereas illum, qui meretur accipere. Omnibus da, ne fortè cui non dederis, ipse sit Christus: & cui largiris, cum hilaritate largire; & quidquid tribuis, cum affectu tribue. *(mm) Denique, ut, omissis innumeris aliis, tandem finiam cum Gregorio Nazianzeno*, Christum, quamdiu licet, visitemus, Christum curemus, Christum alamus, Christum indua-

(ii) *Chrysost. in Act. hom. 22.* (kk) *A Lapide in c. 26. Deuter. v. 12.* (ll) *Coloss. 3.*
(mm) *Isid. Hisp. de norma vivendi n. 16. & iterum in Synonym.*

mus, Christum colligamus, Christum honoremus, non mensâ solùm, ut quidam, nec unguentis, ut Maria, nec sepulchro dumtaxat, ut Joseph Arimathæus, nec rebus ad sepulturam accommodatis, ut ille dimidiâ tantùm ex parte Christum amans Nicodemus; nec denique auro, thure, & myrrhâ, ut Magi ante eos omnes, quos antè diximus: sed quoniam omnium Dominus misericordiam vult, non sacrificium; ac pinguium agnorum myriades commiseratio superat: hanc per pauperes ipsi conferamus, ut cùm hinc excesserimus, in æterna tabernacula nos recipiant; (nn) *audiamusq; in die resurrectionis suavissimam illam Christi judicis sententiam:* Venite benedicti Patris mei, &c.

(nn) *Greg. Nazianz. orat.* 16. *de amore paup. fine.*





CONSIDERATIO XXIV.

IMMISERICORDI NULLA MISERICORDIA.

I. JUdicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam. (*a*) Qui ergo non facit miſericordiam, excludit à ſe Dei miſericordiam. (*b*) Gratis miſericordiam ſperat ibi, qui hîc non fecerit miſericordiam. Qui facit miſericordiam, currit ad præmium; qui non facit miſericordiam, decurrit ad pœnam. (*c*) Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur. (*d*) Eâdem quippe menſurâ, quâ menſi fueritis, remetietur vobis. (*e*) Qui calumniatur egentem, exprobrat factori ſuo; (*f*) *ſive, ut ſcribit S. Paulinus*, Qui ſpernit pauperem, exacerbat eum qui fecit illum, id eſt, commu-

(a) *Iac.* 2. (b) *A Lapide ex Oecumenio ibi.* (c) *Chryſol. ſerm.* 8. (d) *Prov.* 21. (e) *Luc.* 6. (f) *Prov.* 14.

nem omnium Creatorem, qui ſicut refectione inopum gaudet, ita defectione triſtatur. (*g*) *Unde & injuriam pauperibus factam, velut ſibi illatam, ulturum ſe teſtatur ſæpiſſimè & ſeverè*. Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. (*h*) Quis exurgentem Dominum non extimeſcat ? (*i*) *Et alio loco*: Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliviſcaris pauperum. (*k*) Elationem hujuſmodi deprecemur, ne nobis in mentem veniat videre velle manum illam adverſus inobedientes & contumaces ſeſe attollentem, quodque gravius eſt, in duros & pertinaces immiſſam. (*l*) *Et rurſus*: Non eſt oblitus clamorem pauperum. Non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. (*m*) *Et*, Oculi ejus in pauperem reſpiciunt (quod quidem palpebris melius eſt ac præſtantius) palpebræ autem ejus interrogant filios hominum: (*n*) id eſt, minor, ut ita dicam, & poſte-

(g) *Paulin. ep.* 3. (h) *Pſ.* 11. (i) *Greg. Naz. orat.* 16. (k) *Pſ.* 9. (l) *Greg. Naz. ſuprà.* (m) *Pſ.* 9. (n) *Pſ.* 10.

rior inspectio. Verùm dixerit fortasse aliquis: Hæc pro pauperibus illis & inopibus dicta sunt, qui injuria afficiuntur. Sit ita sanè: nam de hoc litem nullam movebo. At hoc quoque tamen ad colenda humanitatis officia te extimulet. Quorum enim, si quid eis injuriæ inferatur, tanta ratio habetur, iisdem certè beneficio affectis, amplior & uberior est gratia. Nam si, qui pauperem despicit, eum, à quo factus est, ad iracundiam concitat; non dubium est, quin opificem honore afficiat; qui ipsius opus complectitur. (o) *Ceterùm & pauperibus, atque adeò ipsi Deo, injuriam faciunt, qui illorum non miserentur, neque inopiam sublevant. Audi Gregorium Magnum.* Admonendi sunt qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur: ut sciant sollicitè, quòd ea, de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est; & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert. In cassum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatum vendicant: qui cùm accepta non tribuunt, in proximorum nece gras-

[o] *Nazianz. orat.* 16.

ſantur: quia tot pænè quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud ſe ſubſidia abſcondunt. Nam cùm quælibet neceſſaria indigentibus miniſtramus, ſua illis reddimus, non noſtra largimur: juſtitiæ debitum potiùs ſolvimus, quàm miſericordiæ opus implemus. Unde & ipſa Veritas, cùm de miſericordia cautè exhibenda loqueretur, ait: Attendite, ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. (Matth. 6.) Cui quoque ſententiæ etiam Pſalmiſta concinens dixit: Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi. (Pſ. 111.) Cùm enim largitatem impenſam pauperibus præmiſiſſet, non hanc vocare miſericordiam, ſed juſtitiam maluit: quia quod à communi Domino tribuitur, juſtum profectò eſt, ut, qui accipiunt, eo communiter utantur. Hinc etiam Salomon ait: Qui juſtus eſt, tribuet, & non ceſſabit. (Prov. 21.) .... Admonendi ſunt tenaces, ut noverint, quòd hanc primam injuriam faciunt Deo: quia danti ſibi omnia, nullam miſericordiæ hoſtiam reddunt. Hinc etiam Pſalmiſta ait: Non dabit

Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ. (Ps. 48.) Pretium namque redemptionis dare, est opus bonum prævenienti nos gratiæ reddere, *&c.* (*p*) *Sed audi Deum ipsum, qui & peculiarem pauperum curam suscipit, & tibi commendat, imò præcipit.* Non deërunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcircò præcipio ego tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. (*q*) Egenti da, orphanum tuere, nudum vesti, confractum & debilem cura, claudum irridere noli, tutare mancum, & cœcum ad visionem claritatis meæ admitte. (*r*) Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. (*s*) Eleëmosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas à paupere. Animam esurientem ne despexeris: & non exasperes pauperem in inopia sua. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius:

(*p*) *Greg. curæ pastor. p. 3. admon. 22.* (*q*) *Deuter. 15.* (*r*) *Esdræ l. 4. c. 2.* (*s*) *Isai. 58.*

exaudiet autem eum, qui fecit illum. (*t*) Nec dicas amico tuo, (*proximo tuo etiam pauperi*) Vade, & revertere, & cras dabo tibi. (*u*) Una enim beneficentia est, quæ moram non admittit, *ait Nazianzenus.* (*x*) *Et Ambrosius*: (*y*) Qui non patitur te dicere, Cras dabo: quomodo patitur dicere, Non dabo? Non de tuo largiris pauperi, sed de suo reddis. Quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas? Omnium est terra, non divitum: sed pauciores qui non utuntur suo, quàm qui utuntur. Debitum igitur reddis, non largiris indebitum. Ideoque tibi dicit Scriptura: Declina pauperi sine tristitia animam tuam (*Vulgata habet*, aurem tuam) & responde illi pacifica in mansuetudine. (*z*) Non est enim ei benè, qui assiduus est in malis, & eleëmosynas non danti. (*aa*) An tu benignitatem, non necessariam, sed tibi liberam esse putas? Hoc quoque ipse magnopere vellem: sed me sinistra illa manus terret, & hœdi, & probra, quæ ab eo, à quo

(t) *Eccli.* 4. (u) *Prov.* 3. (x) *Orat.* 16. (y) *De Nabuthe c.* 12. (z) *Eccli.* 4. (aa) *Eccli.* 12.

illic collocati sunt, conjiciuntur, non quia manus alienis bonis attulerunt, nec quia templa diripuerunt, aut aliud quiddam ex iis, quæ interdicta sunt, admiserunt, hoc ordine mulctati; sed quia Christum per pauperes minimè curarunt. (*bb*) Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare *&c.* Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum. (*cc*)

II. Mendici Dei sumus. Ut agnoscat ille mendicos suos, agnoscamus nos nostros ... Quam frontem habes petendo ad Dominum Deum tuum, qui non agnoscis parem tuum? (*a*) Audiat petentem, qui petens optat audiri: auditum aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum: esurientem sentiat, qui vult Deum sentire quòd esurit: misereatur, qui misericordiam sperat: pietatem qui quærit, faciat: qui præstari sibi vult, præ-

[bb] *Nazianz. orat.* 16. [cc] *Matth.* 25.
[a] *Aug. de verb. Dom. serm.* 9.

ſtet. Improbus petitor eſt, qui, quod aliis negat, ſibi poſtulat. Homo, eſto tibi miſericordiæ formà; ſic, quomodo vis, quantum vis, quàm citò vis, miſericordiam fieri: tam citò alii, tantum, taliter, ipſe miſerere. (*b*) Si vis impetrare miſericordiam Dei, eſto miſericors. Si tu negas homini, cùm homo ſis, humanitatem; negabit tibi Deus & divinitatem, hoc eſt, incorruptionem immortalitatis, qua nos facit deos.... Miſerere hominum, homo, & tui miſerebitur Deus. Tu homo, & alter homo, duo miſeri. Deus autem non miſer, ſed miſericors. Si autem miſer non miſereatur miſero; quomodo exigit miſericordiam ab illo, qui nunquam erit miſer? (*c*) Ego teſtimonium conſcientiæ tuæ poſco, quia Judicem tuum effugere & declinare non poteris, cujus teſtimonium non poteris recuſare in die, qua revelabit Dominus occulta hominum. Tu dicis: Deſtruam horrea mea. Et Dominus dicit: Sine magis, quidquid intra horreum eſt, pauperibus deputari, ſine

(b) *Chryſol. ſerm.* 43. (c) *Aug. ſerm.* 19. *è* 40. *novis.*

cellas istas pauperibus prodesse. Tu dicis: Majora faciam, & illò congregabo omnia, quæ nata sunt mihi. Dominus dicit: Frange esurienti panem tuum. Tu dicis: Tollam pauperi domum suam. Dominus autem dicit, ut egenos non habentes tectum inducas in domum tuam. Quomodo vis, ut Deus te exaudiat, cùm tu Deum non putes audiendum? (*d*) Quid miser Judici respondebis? Parietes vestis, hominem non vestis? Equos phaleris ornas, fratrem laceris amictum pannis aspernaris? Frumentum retinendo perdis, esurientes non respicis? Aurum in terram condis, & oppressum non curas? (*e*) Cùm non habeas charitatem, cùm tibi desit humanitas, desit fides, desit spes in Deo, cùm tibi desit misericordia, quid te egestuosius, quid te mendicius? ... Quis tam injustus, tam avidus, tam avarus, quàm qui multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiam & delitias facit? Neque enim minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & abundes, indigen-

[d] *Ambr. de Nabuthe cap.* 10.
[e] *Basil. hom.* 7. *in divit. avar.*

tibus denegare. Esurientium panis est, quem tu detines : nudorum indumentum est, quod tu recludis : miserorum redemptio est & absolutio, pecunia, quam tu in terram defodis. Tot te ergo scias invadere bona, quot possis præstare quod velis. (*f*) Non enim injustus est Deus, qui ea quæ sunt ad victum, inæqualiter nobis diviserit. Cur tu dives es, ille pauper? Profectò non ob aliam causam, nisi ut benigni ac fidelis administratoris mercedem accipias, ille verò patientiæ maximis præmiis honoretur. Tu verò insatiabilis avaritiæ lacertis omnia circumplexus, & tot homines illis privans, neminem te lædere putas.... Tot injurius es hominibus, quot poteras opem conferre. (*g*) Unum noveris, quòd mortes omnium requiret à te districtissimus Judex, quia omnium factus es reus, quorum vitam annonæ beneficio redimere potuisti ... Sibi apud Deum pietatis januam claudit, qui viscera misericordiæ proximo mendicanti non aperit. (*h*) O! quanto dignum

(f) *Ambr. serm.* 81. (g) *Basil. ho.* 6. *in ditesc.*
(h) *Petr. Bles. epist.* 91.

pretio tibi censebitur die Judicii verbum illud, Venite benedicti &c. Quanta rursus trepidatio ac sudor, quantæ ob oculos tenebræ se tibi circumfundent condemnationem audienti? Ite maledicti &c. Esurivi, & non dedistis mihi manducare &c. Non ibi rapax accusatur: sed, qui substantiam non communicaverit, condemnatur. (*i*) Poterat dicere: Venite ad me benedicti, quòd casti, quòd virgines vixistis, quòd angelicam suscepistis conversationem. Sed tacet hæc, non quòd memoriâ sint indigna, sed quòd à clementia sint secunda ... Pari modo eis qui à sinistris, non dixit: quia fornicati estis, quia furtum, quia falsum fecistis testimonium, quia perjurastis. Mala quidem hæc manifestè, sed à duritate negantis eleëmosynam sunt secunda. Quare autem, Domine, viarum aliarum non recordaris? Non judico, inquit, peccatum, sed inclementiam: non peccantes, sed immisericordes judico: inclementiæ vos damno, quòd talem ac tantam salutis medicinam, eleëmosynam scilicet, quâ emolliri at-

[i] *Basil. ho. 6. in ditesc.*

que extergi peccata potuerunt, tantum beneficium despexistis. (*k*) Sicut illos qui ad dexteram futuri sunt, sola misericordia liberabit: ita eos qui ad sinistram sunt, sola avaritia condemnabit. (*l*) Quasi nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri. (*m*) Non ergo putet aliquis futuram in se esse misericordiam Dei, si est ipse immisericors. (*n*) Peribunt enim, peribunt, qui Christum non paverunt: (*o*) qui propter nos egenus factus est; (*p*) dilexit nos, & lavit nos in sanguine suo. (*q*) In hoc cognovimus charitatem Dei, *scribit Veritatis dilectus Discipulus,* quoniam ille animam suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere. (*r*) Non dixit Apostolus, Possumus, sed Debemus: neque dixit, Arbitror, Censeo, Consilium do; sed absolutè pronuntiavit, Debemus pro fratribus animas ponere. Et, si animas, cur non magis facultates? (*s*) *Proinde S. Gre-*

(k) *Chrysost. hom. 5. de pœnit.* (l) *Damasc. de die judicii.* (m) *Leo de Collect. ser. 5.* (n) *Aug. in Ps. 102.* (o) *Chrysost. hom. 8. in 2. Cor.* (p) *2. Cor. 8.* (q) *Apoc. 1.* (r) *1. Ioan. 3.* [s] *Bellarm. de æterna felic. l. 3. c. 8.*

gorius rectè concludit: Cùm incomparabiliter longè sit melior anima, qua vivimus, quàm terrena substantia; quam exteriùs possidemus; Qui non dat substantiam suam, quando daturus est animam suam? (*t*) Et quidem Deus Filium dedidit: tu verò ne panem quidem illi, propter te tum dedito, tum trucidato, impertiris. Illi Pater, etiamsi Filius esset legitimus, propter te haudquaquam pepercit: tu verò vel fame tabescentem despicis, præsertim cùm sumptum facturus sis ab iis quæ illius sunt, tum tuâ ipsius causâ. Quid hac iniquitate deterius fuerit? (*u*) Et quis nos à futura pœna liberabit? *qui nec ipsum Dominum dignamur in pauperibus agnoscere*, manus porrigentem despicientes, frequenter autem & torvo respicientes oculo, (*x*) *negantes, quæ canibus, histrionibus, scortis profundimus.* (*y*) Non te miseret? misericordiam non invenies. Non aperuisti domum tuam? à regno Dei excluderis. Non dedisti panem? non vitam reci-

pies

[t] *Greg. hom. 14. in Euang.* [u) *Chrysost. hom. 15. in ep. ad Rom.* (x) *Id. hom. 32. ad Pop.* (y) *vid. eund. hom. 19. in 2. Cor. & alibi.*

pies æternam. (z) *Sed audies formidandam illam sententiam, tuâ inhumanitate dignam:* Ite, ite maledicti in ignem æternum. Nescio vos.

III. Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & bysso, & epulatur quotidie splendidè... Mortuus est autem, & sepultus est in inferno. (a) Dives, inquit, erat: non dixit, calumniator: non dixit, pauperum oppressor: non dixit, rerum alienarum aut delator aut receptor: non dixit, pupillorum expoliator: non dixit, viduarum persecutor. Nihil horum; sed, Erat quidam dives. Quid magnum est? Dives erat, sed de suo dives erat... Quod ergo ejus crimen, nisi jacens ante januam ulcerosus, & non adjutus? Hoc enim apertè de illo dictum est, quòd immisericors erat, non quia aliena rapuit, sed quia de propriis erogare noluit. Numquid enim, si pauper ille ante januam jacens, sufficientem panem à divite acciperet, diceretur de illo, quia cupiebat saturari de micis, quæ cadebant

(z) *Basil. hom. 7. in divites avaros.*
(a) *Luc.* 16.

de mensa divitis? Propter solam inhumanitatem, quia contemnebat pauperem ante januam suam jacentem, nec congruè digneque pascebat, mortuus est, & sepultus est in inferno. Et cùm esset apud inferos in tormentis, levavit oculos, vidit pauperem in sinu Abrahæ. Quid pluribus immorer? Desideravit guttam, qui non dedit micam. Accepit justam sententiam, qui non dedit crudeli avaritiâ. (*b*) Si hæc est pœna avarorum, quæ erit pœna raptorum? Dives iste non abstulisse aliena reprehenditur, sed propria non dedisse. Nec dicitur, quia vi quemquam oppressit, sed in acceptis rebus se extulit. Hinc ergo summoperè colligendum est, qua pœna mulctandus sit qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur... Hoc quoque fuit, quod hunc in inferno tradidit: quia in sua felicitate timidus non fuit, quia accepta dona ad usum arrogantiæ inflexit, quia viscera pietatis ignoravit, quia peccata sua redimere, etiam cùm sibi abundaret pretium, noluit. (*c*) Dives ille diffluens delitiis atque

(b) *August. hom. 7. ex 50.*
(c) *Greg. hom. 40. in Evang.*

luxuria, mendici ad vestibulum abjecti atque afflicti misertus non est, idcircò misericordiam sibi præcidit, misericordiâ imploratâ non adjutus: non quòd una gutta de magno paradisi fonte dempta damnosa esset, sed quia misericordiæ stilla commisceri atque communicari cum inhumanitate non potest. (*d*) Dives, qui participem pauperem in bonis præsentibus audire contempsit, in futuris malis compatientem pauperem non meruit invenire: nec ardens, aquæ refrigerium percepit, æstuanti pauperi fame panis refrigerium qui negavit. (*e*) Vidit sibi negatam misericordiam, qui ipsam negaverat. (*f*) Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua. (*g*) Si tantum divitis hujus est crimen, quia recepit bona; quantùm reus, qui invadit indebita? Si tantum criminosus qui sua claudit, qui non largitur accepta; quàm pœnalis est, qui & suis incubat, & aliena pervadit? (*h*) Fili: ô mira pietas! adhuc vocat filium, quem degene-

V 2

(d) *Nyssen. de Beatitud. orat. 5.*
(e) *Chrysol. serm. 66.* (f) *Aug. serm. 11. è 40. novis.* (g) *Luc. 16.* (h) *Chrysol serm. 123.*

raſſe propriâ crudelitate ſic reſpicit ... Sed vocat filium, ut magis magiſque filii prodatur impietas: quando cum tali etiam paterni ſermonis pietas perſeverat. *(i)* Memento, quòd receperis bona. Concluſiſti ſimul in munimentis divitiarum miſericordiam, & reliquiſti ſuper terram miſerandi affectum: non portaſti ad hoc ſæculum humanitatem, non habes quod non habuiſti: non invenis, quod non depoſuiſti: non colligis, quod non diſperſiſti: non metes, quorum non dejeciſti ſemina: digna ſementi, tibi meſſis: acerbitatem ſeminaſti, collige manipulos. Coluiſti immiſericordiam; habe quod dilexiſti: non aſpexiſti quemquam condolenter; non aſpicieris cum miſeratione: deſpexiſti eum qui affligeretur; deſpicieris, dum periſti. Fugiſti miſericordiam; fugiet te miſericordia: abominatus es, & faſtidiſti egenum; faſtidiet te, qui propter te egenus fuit. *(k)* Audiant iſta divites, qui nolunt eſſe miſericordes. Audiant irrogari ſupplicia eis, qui nolunt erogare ſubſidia. Audiant pauperem refrige-

(i) Chryſol. ibi. (k) Nyſſen. de Beatit. orat 5.

rantem, audiant divitem pœnis gravioribus æſtuantem.... Penſantur pro divitiis pœnæ, refrigerium pro paupertate; pro purpura flamma, refectio pro nuditate: ut ſalva ſit æquitas ſtateræ, & non mentiatur modus illius menſuræ. In qua, inquit, menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Ideò negatur in pœnis miſericordia, quia ipſe, dum viveret, noluit miſereri. Ideò rogans dives non exauditur in tormentis, quia rogantem pauperem non exaudivit in terris. (l) Unde credo illum divitem tartari, cùm totus (ut clamat) miſer cruciaretur, in illa ignei gurgitis flamma, ſolius tamen linguæ refrigerium poſtulaſſe, qua ſine dubio ideò vehementiùs cruciabatur, quia in Lazarum ante januam ſuam ſtratum & canibus relictum, ſæpiùs ſuperbo avarus ore peccaverat. (m) Lingua in capite, caput mali: ipſa derogat egeno: inſultat pauperi: pietatem latrat: miſericordiam carpit: & meritò prima eſt in gehenna, in cruciatu prævia, dux pœnarum, quia ipſa interdixit miſeri-

V 3

(l) *Aug. de verb. Dom. ſerm.* 25.
(m) *Paulin. ep.* 31. *ad Alethium.*

cordiam, cui datum fuerat ut juberet. (*n*) Neque hujus è tartaro divitis nomen insigne est, quod non casu prætermissum, edito pauperis nomine, intelligimus. Illius quoque divitis, qui gloriatus in lege completa, conditionem adipiscendæ perfectionis, divitiarum suarum amore, aversatus est, cæcitatem legimus, vocabulum non habemus ... Talium divitum nomina in Evangelio non scribuntur, quia nec in libro vitæ habentur. (*o*) Ne quæso, Fratres, à divitis illius partibus stemus, nec flammis cruciemur, nec vasto hiatu à piorum cœtu dirimamur: nec cum Lazaro agamus, ut flagrantem nostram linguam extremo digito refrigeret, ac ne id quidem impetremus. Simus benigni, misericordes, humani. (*p*) Requiem Lazari, & pœnam divitis cognoscentes, solerter agite, culparum vestrarum intercessores quærite, atque advocatos vobis in die judicii pauperes procurate. Multos etenim nunc Lazaros habetis; ante januas vestras jacent, atque his indigent,

(n) *Chrysol. serm.* 124. (o) *Paulin. ep.* 31.
(p) *Nazianz. Orat.* 9.

quæ vobis jam ſatiatis quotidie micæ de menſa cadunt... Quotidie Lazarum ſi quærimus, invenimus, quotidie Lazarum, etſi non quærimus, cernimus. Ecce importunè ſe pauperes offerunt, rogant nos qui tunc pro nobis interceſſores venient. Certè nos omninò rogare debuimus, ſed tamen rogamur. Videte, ſi negare debemus quod petimur, quando patroni ſunt qui petunt. Nolite ergo miſericordiæ tempora perdere, nolite accepta remedia diſſimulare. Ante ſupplicium, cogitate de ſupplicio. (*q*) Nunquam recordor me legiſſe (*ſcribit Auguſtinus, ſeu quicumque eſt author ſermonum ad Fratres in eremo*) malâ morte periiſſe illum, qui libenter in hac vita opera charitatis vel pietatis voluit exercere. Habet enim multos interceſſores pius homo, & ille qui opera charitatis exercet liberaliter. Quid enim aliud de piis hominibus dicere poterimus? niſi id quod frequenter legimus: Opera enim illorum ſequuntur illos. Apoc. 14. Quare? niſi quia multos habent interceſſores? Ideò impoſſibile eſt, ut pre-

(q) *Greg. hom. 40. in Evang.*

ces multorum non exaudiantur. (r) *Verè iterum iterúmque* beatus qui intelligit super egenum & pauperem. (s) *At contrà infelicißimus, qui indigenti animum, manum, aurésque occluserit:* Videbit diem malum, qui diem judicii sine advocatione paupertatis intraverit. (t) Protrahitur ad tribunal horrificum, in quo accusatrix quidem assistit ipsa illa quæ & totius vitæ ejus comes extitit avaritia; defensor verò & intercessor nusquam ullus apparet..... Nullus est qui dicat; Domine, dignus est cui ignoscas, dilexit enim gentem nostram, & Ecclesiam ipse ædificavit. Nullæ viduæ, quæ procedentes & flentes rogent Petrum, ostendentes vestimenta sua, quæ eis largitus est dives. Nullus ergo miserebitur ei qui non est misertus. (u) *Vir quidam, cetera modestus, sed adeò mendicis asper, ut nec voces quidem rogantium æquis auribus toleraret, ob eamq; causam in remotiori ædium parte habitare solitus, tandem vitâ defunctus est, & am-*

(r) *Serm.* 44. *ad Fratr. in Eremo to.* 10. *op. Aug.* (s) *Ps.* 40. (t) *Chrysol. serm.* 14. (u) *Ambr. serm.* 81.

plo funere in templum delatus. Fit sacrum solenne, sed, ô prodigium! quoties duo illa fausta apprecationis verba, Dominus vobiscum, *pronuntiat faciens sacerdos, toties ab astante & stupente hominum multitudine, imago Christi cruci affixi videtur manus clavis eximere, & digitos ambabus auribus ingerere, velut indignaretur preces pro defuncto fusas excipere, palamq; attestaretur*: Non auditus non audio. (*x*) Misereantur *ergo* pauperum, qui sibi volunt parcere Christum... Non sit vilis homini homo; nec in quoquam despiciatur illa natura, quam rerum conditor suam fecit. Cui enim laborantium licet negare, quod Christus sibi profitetur impendi? (*y*) *Et tamen, quàm multi, (ô crudelitas! ô impietas) quàm multi, & Christiani, etiam sluperflua, etiam ciborum reliquias, etiam quæ à muribus, à tineis corrumpuntur, negant hominibus, ad eandem Dei imaginem creatis, eodem Christi sanguine redemptis & ablutis, earumdem legum participibus, eorumdem oraculorum, mysterio-*

V 5

(x) *Ioan. Duegnius Hisp. spec. Tristium. c. 1. cit. à Drexel. &* D'oultreman *de Eleēmos.*
(y) *Leo de Collect. serm.4.*

rum, ejusdem spei, cœlestis vitæ cohæredibus; *imò Christo ipsi*, qui non confunditur fratres eos vocare; (z) & à quo bona cuncta procedunt. (*aa*) *Atque intolerandam istam inhumanitatem ac barbariem conquestus est non semel ipse Christus, cùm apud alios, tum apud Margaretam Carmelitanam dictam à venerabili Sacramento, ei spectandum se offerens, nunc specie miserabili, quali olim in Calvariæ monte, nunc monens ut se in esuriente infantulo pasceret.* (*bb*) *At tu mi homo, mi Christiane*,

Fac sis benignus, ut benignum habeas Deum: (*cc*)

Nec tibi tantùm habeas quod accepisti; quia ideò & illius partem tibi in hoc sæculo contulit Deus, ut tibi deberet quod de suis donis tuo voluntario affectu indigentibus obtulisses, ac te vicissim in æterna die de illius parte ditaret. (*dd*) Da ergo Deo in terra, ut accipias in vita æterna: ut cùm veneris in conspectu Angelorum ante tribunal æterni Judicis, securâ

(z) *Hebr.* 2. (aa) *Orat. Dom.* 4. *post Pascha.* (bb) *Vita Margar. l.* 5. *c.* 6. (cc) *Nazianz. in Monostichis.* (dd) *Paulin. ep.* 32.

& liberâ conſcientiâ dicere poſſis: Da Domine, quia dedi: fac miſericordiam, quia feci. Ego implevi quod juſſiſti: & tu redde quod promiſiſti. (*ee*)

[ee] *Damaſc. de die judicii.*



CONSIDERATIO XXV.

PAUPERTATIS THESAURUS.

I. Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro: quem qui invenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa quæ habet, & emit agrum illum. (*a*) *Simile eſt theſauro abſcondito in agro, quoad modum inveniendi & comparandi; ſed longè, imò ultra omnem cogitationem, majus & præſtantius, ſi ſpectes rei poſſidendæ & poſſeſſionis dignitatem. Quantùm Deus creata omnia ſuperat, tantùm ceteros om-*

(a) *Matth.* 13.

nes thesauros thesaurus ille cœlestis, qui regnum cœlorum dicitur, transcendit, cùm ipse etiam thesaurus Deus sit. Vis autem illum possidere? Multis opus non est; imò solo nihilo opus est. Nihil habe, nihil habere velis; pauper esto, sed spiritu & affectu; solum Deum cogita, solum Deum suspira; illum habebis, imò jam habes. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. (*b*) Veritas loquitur, quæ nec falli, nec fallere potest, & ipsa est quæ dicit: Quoniam beati pauperes spiritu. Sic vos, insensati filii Adam, divitias quæritis, divitias desideratis usque adhuc, cùm jam beatitudo pauperum divinitùs commendata, prædicata mundo, credita sit ab hominibus? Quærat eas paganus, qui sine Deo vivit. Quærat Judæus, qui terrenas promissiones accepit. Sed qua fronte, magis, aut qua mente Christianus divitias quærit, postquam Christus beatos esse pauperes prædicavit? Quousque filii alieni, quousque vanitatem loquetur os vestrum, ut beatum dicatis populum, cui hæc sunt, hæc visibilia, hæc præsentia: cùm Fi-

(b) *Matth.* 5.

lius Dei, os suum aperiens, locutus sit veritatem, beatos esse pauperes, &, væ divitibus? (c) Magna quædam penna est paupertatis, qua tam citò volatur in regnum cœlorum. Nam in aliis virtutibus, quæ sequuntur, promissio futuro tempore indicatur: paupertati non tam promittitur, quàm datur. Unde & præsenti tempore enuntiatum est. Quoniam ipsorum est regnum cœlorum: cùm in ceteris dicatur: Hæreditabunt, consolabuntur, & similia. (d) *In illud jus habent ut hæreditatem, in quam intrent* glorioso illo (*ut loquitur Petrus Blesensis*) apud Deum titulo paupertatis. (e) Paupertas *enim* (*ut cum S. Bonaventura* (f) *loquar*) est summè coæquata cœlo, & cœleste pretium. *Hoc pretio à te Regi cœlorum tradito, & ab hoc lubente volente admisso, regnum ipsum cœlorum tuum facis: &, ut de jure tuo acquisito ne dubites, seipsum Rex ipse tuus tibi se concredit, & velut in pignus dat.* Ego, *inquit*, Deus tuus sum. Non dixit, ero, sed jam sum, jam in-

(c) *Bernard. festo SS. omn. serm.* 1. (d) *Bern. serm.* 4. *in Adventu.* (e) *Ep.* 102. (f) *Dietæ salut. tit.* 4. *cap.* 3.

habito, jam poſſideo. (*g*) Ego merces tua magna nimis. (*h*) *Audis tu, & viciſſim reponis:* Tuus ſum ego. (*i*) Deus meus es tu: (*k*) Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. (*l*) Dominus pars hæreditatis meæ, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. (*m*) Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram? (*n*) Quid enim eſt, quod conferri poſſit his de quibus Deus dicit: Et inhabitabo in his? Quid magnificentius hoſpite cœleſti? Quid beatius poſſeſſione divina? Et deambulabo, inquit, in his? Alii queruntur de ſui ruris anguſtiis: in te, Deo eſt ampla poſſeſſio, in quo deambulare ſe dicit, hoc eſt, laxæ habitationis ſpatia inveniens qui terram includit manu. Cui mundus anguſtus eſt, tu ei ampla es domus. Portio, inquit, mea Dominus. (*o*) Pretioſiſſimus *ergo* animæ theſaurus paupertas ſpontanea. (*p*) Frequenter æſtimatur

(g) *Ambr. in Pſ.* 118. *ſerm.* 8. *n.* 1. (h) *Geneſ.* 15. (i) *Pſ.* 118. (k) *Pſ.* 117. (l) *Pſ.* 72. (m) *Pſ.* 15. (n) *Pſ.* 72. (o) *Ambr. ſuprà.* (p) *S. Syncletica, vitæ c.* 5. *apud Bolland.* 5. *Ian.*

pauper irridendus, eò quòd in terra nullam habeat portionem; & tamen portio ejus in cœlo eſt. Anima ejus ibi ſibi patrocinium collocavit, quia audivit JESUM dicentem: Nolite theſaurum vobis condere in terra: ſed theſaurum, inquit, vobis condite in cœlo. (Matth. 6.) ſed hoc divites audire non poſſunt. Clauſas aures habent, & ſono æris obtuſas; nummus magis illis reſonat, quàm verba divina. Denique acceſſit quidam dives ad Dominum, qui portionem Dominum non habebat. Habebat enim multas poſſeſſiones; ſed Dominus inter multa non numeratur: non enim dignatur habere cum ſæculo commercium. Quæ enim portio juſtitiæ cum iniquitate? Dicit ergo hic dives: Quid faciens, vitam æternam poſſidebo? Reſpondit ei Dòminus: Mandata noſti? Non homicidium facies, non adulterabis, non falſum teſtimonium dices; oſtendens, vitam æternam eſſe in his mandatis. At ille juſtificare ſe volens, dicit: Hæc omnia feci; quid mihi reſtat? Ad quem Dominus ait, volens ei Dominum fieri portionem, non pecuniam,

non possessiones, sed utique verum Deum: Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me. Verùm ille, cui portio aurum atque argentum erat, sine quibus esse non poterat, contristatus est. Unde Dominus pronuntiavit, impossibile esse, ut dives intret in regnum cœlorum: sed quod impossibile per humanas cupiditates, hoc per divinam gratiam solam posse esse possibile. Alibi quoque ait: Quicumque reliquerit patrem, aut matrem, domum, aut fratres, aut sorores, centuplum accipiet in hoc sæculo, & vitam æternam possidebit... Proposuit tibi, homo, Dominus in portione possessiones, in portione aurum, in portione argentum, in portione honores, in portione nobilitatem. Proposuit etiam in portione seipsum. Habes igitur plurimas portiones: elige quam petas. (q) *Etiam hæres?* Dixi, nunc cœpi: hæc mutatio Excelsi. (r) Dixi Domino, Deus meus es tu.

(q) *Ambr. in Ps.* 118. *serm.* 8. *n.* 1.
(r) *Psal.* 76.

(s) Tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium. (t) Tibi derelictus eſt pauper. (u) Deus meus, & omnia. (x)

II. *Adeò pretioſa eſt ſpontanea rerum inopia, ut non modò valeat, quanti cœlum; ſed habeat etiam, quantum terrenarum opum contemnit. Audi præclarum illum diſciplinæ Chriſtianæ magiſtrum, Guilielmum Pariſienſem Epiſcopum, argutè & piè ratiocinantem.* (a) Per paupertatem ditiſſima atque abundantiſſima mens humana fit etiam terrenis divitiis, & jure pleniſſimo poſſidet illas, ac pro beneplacito ſuo vendit illas ſine injuria alicujus, ſimiliter & theſaurizat. *Hoc magis explicat idem Doctor, exponens quo pacto dicantur Apoſtoli reliquiſſe omnia, cùm perpauca haberent, relinqui verò omnia non poſſint, niſi ab habentibus omnia.* Divitiarum, *inquit*, quas non habebant actualiter, felici nobiliq́ue commercio hujuſmodi veros ſe poſſeſſores effecerunt. Alioquin ſapientiſſimus

(s) *Pſ.* 139. (t) *Pſ.* 141. (u) *Pſ.* 9.
(x) *S. Franciſcus, & alii.*
(a) *De moribus cap.* 9. *apud Nieremberg. hom. caten.* 14. §. 2.

Deus, quem nihil latere poteſt, ac fideliſſimus, qui nihil à furibus, vel latronibus, ſeu immeritis quibuſcumque detentoribus, vel dono, vel emptione iniquâ recipit, vel habere vult, qualiter ab Apoſtolis relicta hujuſmodi recepiſſet, vel emiſſet? Manifeſtum eſt, quia nec recepiſſet ad cuſtodiendum, ut theſaurarius eorum; nec emiſſet, niſi, quæ ſua ſunt, illorum eſſe indubitanter feciſſet. Manifeſtum igitur eſt, quia ipſis divitiis terrenis divites efficit hæc paupertas, veroſque earum dominos & poſſeſſores, & longè nobiliùs uti eis, ac negotiari in eis ſolo corde, deſerendo ſcilicet eas. *Eandem paupertatis voluntariæ mirificam vim & divitias ampliùs explicaturus, ſubdit:* Quàm citò ex corde dicit: Nolo habere theſauros regios aut imperiales, & hoc propter Chriſtum; ſtatim eos & in cœlo theſaurizat, & Chriſto Domino vendidit, & hoc ſine injuria alterius. Illos igitur pleno jure ſuos efficit. *Hactenus Pariſienſis Antiſtes.* O beata paupertas voluntaria, nihil in hoc ſæculo poſſidens, nihil formidans! quoniam omnem theſaurum recon-

didit in cœlo. Non irruentes piratas, non insidiantes latrones, non terræ sterilitatem, non aëris tempestates pavescit. Quidquid infortunii, quidquid novi eveniat, secura est, semper hilaris, semper abundans est; &, cùm nihil habeat, omnia sibi communia facit; omne incommodum suo facit profectui deservire. Deum ubique reperit provisorem: hominum facultates renuens, in solo divino innititur suffragio. Nemo certè, nisi expertus, percipere sufficit, quàm amabilia, quàm dulcia, quámve pretiosa sint, quæ largitur Deus iis, qui pro ipsius amore, suis sibique renuntiant. (*b*) Beata igitur illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed cœlestibus bonis ditescere concupiscit. (*c*) Locus tutus est & securus, portus tranquillus, palæstra & gymnasium philosophiæ, (*veræ utique sapientiæ*) angelicæ vitæ imitatio: (*d*) pædagogus ad colendam pietatem: (*e*) curarum

(b) *Laur. Iustin. de discipl. monast. conversat. c. 2.*
(c) *Leo serm. fest. SS. omn.* (d) *Chrysost. hom. ult. in Matth.* (e] *Basil. in c. 2. Isai.*

depoſitio, ſecuritas, viator omnibus impedimentis liber, mœroris alienatio, mandatorum fides: (*f*) nobilis margarita, quæ dum omnia contemnit, dominium ſuper omnia accipit. (*g*) Hæc eſt virtus de cœlo influens, quæ nos ita inſtituit & informat, ut terrena cuncta ultrò conculcemus, quæque obices omnes è medio tollit, quò humana mens cum Domino Deo ſuo liberrimè atque expeditiſſimè conjungatur. Hæc eſt, quæ animam adhuc in terris poſitam facit in cœlis cum Angelis converſari. (*h*) Hæc eſt Euangelici agri theſaurus abſconditus; pro quo emendo vendenda ſunt omnia; &, quæ vendi non poſſunt, illius comparatione ſpernenda. (*i*) Quibus theſauris conferri poſſit, quod videmus paupertati indultum? Ut ad regnum cœlorum veniret dives, poſſeſſione ſuâ obtinere non poteſt: nunc obtinet, ut contemptâ perveniat. (*k*) Vis, paupertatis opes quantæ ſint, diſcere? Non imperat hæc viris, ſed

(f) *Climac. gradu* 16. (g) *Bonavent. ſerm.* 2. *in Cathedra S. Petri.* (h) *S. Franciſc. apud Wading. Ann. Min.* 1216. *n* 12. (i) *Idem ib. an.* 1210. *n.* 50. (k) *Aug. de verb. Apoſt. ſerm.* 28.

imperat dæmonibus : non aſſiſtit regi, ſed aſſiſtit Deo : non hominum, ſed Angelorum commilito eſt. Non habet duos, tres, vel viginti loculos rerum plenos ; ſed ſic abundat, ut univerſum mundum parvi pendat ; & theſaurum habet in cœlo. Non indiget mancipiis, ſed habet loco ſervorum paſſiones, habet ſervos appetitus, qui regibus dominantur, ut nec reſpicere audeant. Regnum porrò, atque aurum, & omnia hujus generis, hæc, de qua dicimus, paupertas, quaſi pueriles ludos, trochos, dico, talos, pilas, aſpernatur atque contemnit. Quid igitur hoc paupere melius excogitari poteſt ? Hic in cœlo tanquam in pavimento ambulat. Quòd ſi tale pavimentum domus ejus eſt ; cogita per teipſum, quale tectum ſit. Sed non habet, inquies, equos, neque vehicula. Certè nec harum rerum opus eſt ei, qui nubibus vectatur, & cùm JESU converſatur. Hoc igitur tam viri quàm mulieres diligenter intelligentes, divitiarum copiam inconſumptibilium inquiramus. (*l*)

(l) *Chryſoſt. hom.* 48. *in Matth.*

III. Sed unde fieri dicemus, ut thesauros auri & argenti tam multi anxiè scrutentur, & non contenti humana diligentia, dæmonum adjumenta per nefarias artes adhibeant, cum ingenti periculo existimationis & vitæ? & thesaurum tuum, Domine Deus meus, qui solus potest hominem ditissimum facere, & sine labore, sine sumptibus, sine periculo invenire possunt, tam pauci quærant? Ego nullam aliam invenio causam, nisi vel modicam fidem populi tui, vel nimiam occupationem in rebus temporalibus conquirendis, quæ spatium cogitandi & considerandi divina promissa tua hominibus non relinquit. Ergo, bone Domine, adauge nobis fidem erga promissa tua, & extingue sitim habendi divitias temporales: sic enim fiet, ut majore studio investigemus thesaurum tuum; & inventum, venditis omnibus, tuo potissimùm auxilio comparemus. (*a*) *Modum cœlestis istius thesauri comparandi & re & verbo docuit Christus Dominus Discipulos & quoquot eum sequi velint*; propter nos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ nos di-

(a) *Bellarm. de æterna felicit. l. 5. c. 1.*

vites essemus: (*b*) & quamvis loculos haberet, tamen Iudæ illos credidit, quem furem esse non ignorabat; ut intelligeremus, quàm animus ejus liber esset ab amore pecuniæ. (*c*) *Hunc paupertatis thesaurum diligenter inquisierunt antiquæ etiam legis sacri principes.* Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem; (*d*) thesaurum *utique* non deficientem in cœlis. (*e*) *Tobias*, *qui* in captivitate positus, quotidie pergebat per omnem cognationem suam, & consolabatur eos, dividebatque unicuique, prout poterat, de facultatibus suis, esurientes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis atque occisis sepulturam sollicitus exhibebat; (*f*) *cæcus factus*, *ita Deo servum suum probante*, cùm putaret orationem suam exaudiri ut mori potuisset, vocavit ad

(b) 2 *Cor* 8. [c] *Bellarm. sup. l.* 1. *c.* 8.
(d) *Hebr.* 11. (e) *Luc.* 12. (f) *Tob.* 1.

se Tobiam filium suum, (g) *& monita sua concludens*, dixit ei: Noli timere, fili mi: pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni malo, & fecerimus benè. (*h*) Quid Elia pauperius? Sed propterea omnes divites vincebat, quoniam pauper hic erat: ipsam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit. Quoniam enim omnem pecuniarum copiam animi sui magnitudine esse putavit inferiorem, nec philosophiâ suâ dignam: ideò tantam pauperiem amplexatus est. (*i*) *Quid mirum quòd superavit inferiora, cùm ipsi cœlum subesset?* O rem mirabilem! (*exclamat Chrysostomus*) (*k*) ne vestem quidem habuit; & cœlum clausit: ob hanc nimirum causam, cœlum clausit, quia vestem non habuit; quia nihil hîc possedit, idcircò multam habuit potestatem; cùm labra tantùm diduxisset, ut innumeri è cœlo thesauri laberentur, effecit. *Quid Apostolis pauperius? Quid, ob eam causam summæ paupertatis, ditius?*

(g) *c.* 4. (h) *Ibid.* (i) *Chrysost. hom.* 2. *ad Pop.* (k) *Hom. de Consubstantiali sub fin.*

ditius? Reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum, sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: (*l*) *Cæli claudendi & aperiendi facultatem obtinent, & sedes, in quibus cum Christo Iudice sedeant judicantes duodecim tribus Israël, id est, omnium mortalium universitatem. Apostolorum spontaneam paupertatem imitati sunt omnes primi Christiani, de quibus Lucas*: Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia..... Et gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum: (*m*) ut ostenderent, *ait Hieronymus*, pecunias esse calcandas. (*n*) Atqui hoc non parvus credentium numerus: ne quem forsitan minùs scriptorum authoritas moveat, dum putat exempla esse paucorum.

X

(l) 2. *Cor.* 6. (m) *Act.* 4.
(n) *Ep. ad Demetriadem.*

Quæ fuerit quippe tunc multitudo Ecclesiæ principalis, vel ex hoc solo agnosci potest, quòd in principiis statim ipsis octo hominum millia biduo Ecclesiæ accessisse referuntur... Habet igitur omnis ætas, habet omnis conditio, quod sequatur: quicumque est particeps fidei, participem se beati faciat exempli. (o) *Et verò secuti, felici imitamento, innumeri quovis sæculo illustres genere, nobilitate, opibus, viri feminæq;. Lege, si placet, Hieronymum Platum insigni illo volumine* De bono status religiosi, *P. Thomam le Blanc in Ps.* 83. (p) *item in Ps.* 61. (q) *& nostras alterius libelli* De vanitate vanitatum *Considerationes præsertim* 21.*&* 22. *De sancta Paula scribit magnus paupertatis cultor Hieronymus:* (r) Nobilis genere, sed multò nobilior sanctitate: potens quondam divitiis, sed nunc Christi paupertate insignior... Romæ prætulit Bethlehem, & auro tecta fulgentia informis luti vilitate mutavit..... Vis, Lector, ejus breviter scire virtutes? Omnes suos, pauperes

(o) *Salvian. ad Eccles. l.* 3. (p) *n.* 15. *&* 68.
(q) *n.* 48. (r) *Epitaphio Paulæ ad Eustochium.*

pauperior ipſa dimiſit.... Quid ergo referam, amplæ & nobilis domus, & quondam opulentiſſimæ, omnes pænè divitias in pauperes erogatas?.... Spoliabat filios, & inter objurgantes propinquos, majorem ſe eis hæreditatem, Chriſti miſericordiam, dimittere loquebatur.... Teſtem invocans Deum, ſe pro illius nomine cuncta facere: & hoc habere voti, ut mendicans ipſa moreretur: ut unum nummum filiæ non dimitteret, & in funere ſuo alienâ ſindone involveretur... Ego cautiorem in re familiari eſſe cupiebam: ſed illa ardentior fide, toto Salvatori animo jungebatur: & pauperem Dominum pauper ſpiritu ſequebatur, reddens ei quod acceperat, pauper pro ipſo effecta.... Quid hac virtute mirabilius, feminam nobiliſſimæ familiæ, magnis quondam opibus, tantâ fide omnia dilargitam, ut ad egeſtatem pænè ultimam perveniret? Jactent alii pecunias, & in corbonam Dei æra congeſta, funalibuſque aureis dona pendentia: nemo plus dedit pauperibus, quàm quæ ſibi nihil reſervavit. Nunc illa divitiis fruitur, &

iis bonis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. *Hæc & alia de insigni paupertate magna illius Paulæ Hieronymus, qui deinde ad ejus filiam imitatricem Eustochium sic convertitur*: Secuta es, Eustochium, magnâ hæreditate ditata es: Pars tua Dominus; & quò magis gaudeas, mater tua longo martyrio coronata est. *Parem admirationem, & legentibus animos, ad colendam paupertatem velut pretiosum thesaurum & hæreditatem à Christo suis relictam, suggerunt ea quæ idem Scriptor egregius & oculatus testis tradit de aliis nobilissimis & sanctis matronis duabus Romanis, Marcellâ & Fabiolâ. De illâ sic inter alia*: (s) Nihil in illa laudabo, nisi quod proprium est, & eò nobilius, quòd opibus & nobilitate contemptâ, facta est paupertate & humilitate nobilior.... Talibus usa est vestibus, quibus arceret frigus, non membra nudaret, aurum usque ad annuli signaculum repudians, & magis in ventribus egenorum, quàm in marsupiis recondens.... *Irrumpentem, qui Romam obsederat, hostem*, intrepido vul-

(s) *Epitaph. Marcellæ ad Virginiam.*

tu domo suâ excepisse dicitur, cumque posceretur aurum, & defossas opes vili excusaret tunicâ, non tamen fecit fidem voluntariæ paupertatis: cæsam fustibus flagellisque ajunt non sensisse tormenta.... Cumque & illam & Principiam virginem filiam ad beati Apostoli Pauli basilicam barbari deduxissent, in tantam lætitiam dicitur erupisse, ut gratias ageret Deo, quòd filiam integram sibi reservasset; quòd pauperem illam non fecisset captivitas, sed invenisset; quòd egeret quotidiano cibo; quòd saturata Christo non sentiret esuriem; quòd & voce & opere loqueretur, Nuda exivi de utero matris meæ, nuda & redeam. Sicut Domino visum est, ita & factum est. *Hæc de Marcella. Nunc de Fabiola.* (*t*) Omnem censum, quem habere poterat (erat autem amplissimus, & respondens generi ejus) dilapidavit ac vendidit, & in pecuniam congregatum, usibus pauperum præparavit: & prima omnium, nosocomium instituit, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & consumpta languoribus

(t) *Hieron. Epitaph. Fabiolæ.*

atque inediâ miserorum membra foveret... Quoties morbo regio & pædore confectos humeris suis ipsa portavit? quoties lavit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat? Præbebat cibos propria manu: & spirans cadaver sorbitiunculis irrigabat... *E sacris Ierosolymæ locis* reversa est ad patriam, ut ibi pauper viveret, ubi dives fuerat, manens in alieno, quæ multos priùs hospites habuit, & in conspectu Romanæ urbis pauperibus erogaret, quod illâ teste vendiderat.... Non aliis distributionem eleëmosynarum tribuere, sed suis pariter effusis, ipsa pro Christo stipes optabat accipere. *Hoc enimverò est* paupertatem *colere*, quæ cœlestium divitiarum conciliatrix est..... quæ beata dicitur. Beati pauperes spiritu, &c. Vis intelligere, quis pauper spiritu sit? qui corporalem opulentiam animæ divitiis permutat, qui propter spiritum egenus est, qui terrenas divitias veluti quoddam onus excussit & abjecit, ut sublimis per aërem sursum rapiatur. (*u*)

(u) *Nyssen. de Beatitud. orat.* 1.



CONSIDERATIO XXVI.

CHRISTI PAUPERTAS.

I. APparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus; erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo. (a) Scitis enim gratiam Domini nostri JESU Christi: quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. (b) Considerate, animo expendite, & cogitate gratiam Dei, & ne obiter prætercurratis eam, sed benè conjectetis illius magnitudinem, quanta sit & qualis; & nullis rebus vestris parcetis. Ille gloriam evacuavit, non ut vos divitiis illius, sed paupertate, ditesceretis. Si non credis, quòd paupertas divitias facit,

X 4

(a) 1. Tit. 1. (b) 2. Cor. 8.

cogita Dominum tuum, & non ultrà dubitabis: nisi enim ille factus esset pauper, tu non factus esses dives. Nam hoc mirabile, quòd paupertas opulentas facit divitias. Divitias autem hoc loco dicit, scientiam pietatis, peccatorum purificationem, justitiam, sanctimoniam, & innumera bona, quæ nobis exhibuit, & exhibiturus est, maximè cùm omnia per paupertatem factus sit nobis. (c) Omnes ergo divites boni fideles: nemo se contemnat. Pauper in cella, dives in conscientia, securior dormit in terra, quàm auro dives in purpura. Ibi non excitat sollicitudo maligna, compuncto corde de scelere. Serva divitias in corde tuo, quas tibi contulit paupertas Domini tui, imò ipsum adhibebis custodem. Ne pereat de corde quod dedit, servet ipse qui dedit. (d) Nobilis itaque titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit verbo, Beati, inquiens, pauperes spiritu &c. consecravit exemplo: nec enim habuit propriam domum, in qua caput re-

(c) *Chrysost. in illud 2. Cor 8.*
(d) *Beda in idem 2. Cor. 8.*

clinaret, & in qua cum Discipulis pascha manducaret: nec proprium habuit, unde tributum solveret. Commendavit etiam ore prophetico dicens: Ego vir videns paupertatem meam. *Thren.* 3. (*e*) *Et alibi*: Ego autem mendicus sum & pauper: (*f*) opprobrium hominum, & abjectio plebis. (*g*) Descendit ab inenarrabilibus cœli divitiis, & veniens in mundum nec istas qualescumque divitias habere voluit; sed in tanta paupertate venit, ut natus continuò poneretur in præsepio, quia ei non erat locus in diversorio... Verè magna abusio, & magna nimis, ut dives esse velit vermiculus vilis, propter quem Deus majestatis & Dominus Sabaoth voluit pauper fieri; (*h*) pauper in nativitate, pauperior in vita, pauperrimus in cruce. (*i*) Et nónne ipse est qui dicit: Meus est orbis terræ, & plenitudo ejus? Ps. 49. Quid ergo stabulum elegit? (*k*) Cur ipse Salvator, cujus est au-

(e) *Bernard. serm.* 2. *in cœna Dom.* Sedisti ad mensam. (f) *Ps.* 39. (g) *Ps.* 7. (h) *Bern. serm.* 3. *de Resurr.* (i) *Idem de Paßione Domini c.* 2. (k) *Idem de natali Dom. serm.* 3.

rum pariter & argentum, ſacram in corpore ſuo dedicat paupertatem ? Aut certè cur paupertas ipſa tam ſollicitè enarratur ab Angelo ? Neque enim ſine certi ratione myſterii, pannis Salvator obvolvitur, & ponitur in præſepio, quando id manifeſtè in ſignum vobis commendatur ab Angelo. Hoc, inquit, vobis ſignum : Invenietis infantem pannis involutum. Luc. 2. In ſignum poſiti ſunt panni tui, Domine JESU, ſed in ſignum cui à multis uſque hodie contradicitur. Multi quippe vocati, ſed non multi electi, & ideò nec ſignati.... Exemplum dedit nobis, ut & nos eadem faciamus. (*l*) Hoc ſentite in vobis, quod & in Christo JESU; qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo : ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens; (*m*) dives apud Patrem, & pauper apud nos : dives in cœlo, pauper in terra : dives Deus, pauper homo.... Sed tamen paupertas ipſius, divitiæ noſtræ ſunt; quomodo ſtultum ipſius,

(*l*) *Bern. de natali Dom. ſerm.* 4.
(*m*) *Philipp.* 2.

ſapientia noſtra eſt : quomodo infirmitas ipſius, fortitudo noſtro eſt : quomodo mortalitas ipſius, immortalitas noſtra. Qui ſit pauper, attende : non eum ex aliorum paupertate metiaris. Implere venit pauperes, qui pauper effectus eſt... Intellige ergo ſuper egenum & pauperem, id eſt, ſuper Chriſtum. (*n*) Beatus qui intelligit ſuper Chriſti inopiam & paupertatem. (*o*) *Attende ejus cunas, inflate opibus, vanitatibus, inquam, terrenis, vermicule; attende fabrilem artem ejus, qui fecit cœlum & terram; attende vitam pauperrimam, nudiſſimam mortem, tuamq; damna inſatiabilem auri argentíque cupiditatem. Audi tonantem:* Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ : (*p*) Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. (*q*) Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute meâ. (*r*) Conſidera, qualis aſcendat crucem. Nudum video. Talis ergo aſcendat, qui ſæculum vincere parat, ut ſæculi adjumenta non quærat. (*s*) JESU, qui ante crucem ve-

(n) *Aug. in Pſ.* 40. (o) *Ambr. ibid.* (p) *Luc.* 16. (q) *Luc.* 14. (r) *Pſ.* 87. (s) *Ambr. l.* 10. *in Luc.* 23.

ſtibus expoliari & nudari voluiſti: fac me ab omnibus mundanis rebus, in quantum contra meam ſalutem ſunt, denudari: quatenus nudum Crucifixum, & nudam crucem nudus ſequar. (t)

II. Bonorum omnium æterna in cœlis affluentia ſuppetebat; paupertas non inveniebatur in eis. Porrò in terris abundabat, & ſuperabundabat hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium ejus. Hanc itaque Dei Filius concupiſcens, deſcendit, ut eam eligat ſibi, & nobis quoque ſuâ æſtimatione faciat pretioſam. (a) Imitemur, quoad poſſumus, eum, qui ſic dilexit paupertatem, ut quamvis in ejus manibus eſſent fines terræ, tamen non habuit ubi caput reclinaret. (b) Audite, Fratres mei dilectiſſimi, nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo? (c) Pauperes electi, ſuperbi neglecti. Nec faſtus, nec altus, circa Chriſti diſcipulatum, aliquem obtinent locum. Chriſtus pauper, diſcipulos divites

(t) *Lud. Saxon. de vita Chriſti* 2. *p. c.* 63.
(a) *Bern. vigil. Nativ. ſerm.* 1. (b) *Idem de adventu ſerm.* 4. (c) *Iac.* 2.

aspernatur. Pauper mater, pauper filius, inops hospitium, his, qui in forma hujus scholæ in Ecclesia militant, præbent efficax documentum. (*d*) Cùm Christus pro nobis pauper factus sit & egenus, nos pro ipso cur pauperes esse erubescimus? Numquid ejus pauperies non facit divites? Veritate attestante, Regnum cœlorum non divitum, sed pauperum est. (*e*) Si Dominus JESUS propria non desideravit; tu aliena cur quæris? Si Creator omnium, sæculi gloriam, subeundæ paupertatis virtute contempsit; cur tu fastidias quod natus es, appetas quod indebitum est? (*f*) Qui in Christum credis, & ejus crede sermonibus: Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis.... Affatim dives est, qui cum Christo pauper est. (*g*) O quàm beata, ô quàm secura, ô quàm amplectenda sententia! Nullus enim in hac vita ita securus est, ut ille, qui nihil præter Christum appetit possidere. (*h*) Ditior Christi

(d) *De Nativ. Christi apud Cyprian.* (e) *Aug. de contemptu mundi c. 7.* (f) *Ambr. l. 4. in Luc. 4. de 3. tentatione.* (g) *Hieron. ep. 1. ad Heliodor.* (h) *Leo de conflictu vit. & virt. c. 15.*

paupertas cunctis opibus, cunctisque thesauris sæculi. Quid enim humilitate ditius, quid pretiosius invenitur? qua nimirum regnum cœlorum emitur, & divina gratia acquiritur. (*i*) Felix paupertas! per quam cœlestis acquiritur hæreditas. Felix commercium! pro perituris æterna recipere, &, quod ineffabile bonum est, cum Christo sine fine regnare. (*k*) Quantis sudoribus hæreditas cassa expetitur! Minori labore margaritum Christi emi poterat. (*l*) Si habes substantiam, vende, & da pauperibus; si non habes, grandi onere liberatus es: nudum Christum nudus sequere; durum, grande, difficile: sed magna sunt præmia. (*m*) Cogitemus crucem ejus, & divitias lutum putabimus. (*n*) Dicit tibi Dominus tuus, de quo utique non dubitas, si Christianus es: Ego propter te factus sum pauper, cùm dives essem. Qui cùm in forma Dei esset, &c. Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Quid formâ Dei divi-

[i] *Bern. serm. 4. vigil. Nativ.* [k] *August. de contemptu mundi. c. 7.* [l] *Hieron. ep. ad Nepotian.* [m] *Hieron. ep. ad Rustic. Monach. fine.* [n] *Idem ad Nepotian.*

tius ? quid formâ servi pauperius ? ... Paupertas ejus tibi commendatur. Longè à te fuit : propinquavit tibi paupertate. (o) Vidit peritus Magister suos discipulos luctaturos cum mundo; qui si haberent unde tenerentur, leviùs dejicerentur. Tulit igitur arma suis & nostris hostibus, dum nos privavit terrenis possessionibus. Nudus namque latrones non timet : qui verò se mundanis implicat, tela parat, quibus confodiatur. Qui ergo non vult confodi, nudus procedat per viam hujus exilii. (p) Quare, ô quisquis es, qui expeditè cupis pertingere ad perfectionem in hac vita, & ad cœlestem post hanc, abjice à te divitiarum onera, & amplectere voluntariam paupertatem, remove à te vincula cupiditatum, abjice à te anxietates & tædia, quæ temporalibus animos inquietant. In obsessa via, pauperi pax est; nihilque habere sæcularis concupiscentiæ, magna securitas: quia nihil habet in mundo, quod diligat; nihil est, quod eum ab æternorum desiderio impediat. Teste nam-

(o) *Aug. serm.* 11. *è* 40. *novis.*
(p) *Aug. de contemptu mundi. c.* 5.

que ſacro eloquio, fruſtra jacitur rete ante oculos pauperum pennatorum, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Ipſa judicem efficit eum, qui ſe ſectatur, ſicut ipſe Dominus JESUS vivorum & mortuorum judex pollicetur, dicens: Vos qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſraël. (Matth. 19.) Hanc enim prærogativam Dominus pauperibus dare dignatus eſt, ut ſicut præ cæteris hominibus, cuncta quæ mundi ſunt, propter Chriſtum reliquerunt: ita & illi omnibus glorioſiores in judicio videantur. (*q*) Felix ergo paupertas, quæ tam glorioſos reddit in illo ſingulari fulgore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, & in illo tanto diſcrimine judiciorum. (*r*) Hi pauperes quidem ſæculo videntur, ſed Deo divites ſunt; egentes ſæculo, ſed Chriſto locupletes. (*s*) Nullus regum egentibus tuis par eſt, admirande Domine. Nullæ purpuræ, piſcatorum tuorum retibus adæquantur: quando illæ in mundanas tempeſtates impellunt; hæ ad littus

(q) *Laur Iuſtin. ligno vitæ de paup. c. 2.* (r) *Ibid. c. 3.* (s) *Chromat. in Matth. 5. v. 3. to. 2. Bibl. PP.*

æternæ ſecuritatis adducunt. Pauper de nobis, dives ex tuo. (*t*) O quàm glorioſa eſt paupertas Domini JESU, & omnium electorum ejus! Quibus te laudibus extollam, ignoro; omnes divitiæ, gloria, honor, laus, & abundantia ſunt in te. (*u*) Nudus viator ubique ſecurus ambulat. Si me habes (ait ipſa Veritas) quid eſt quod ultrà requiris? (*x*) Semper dives eſt Chriſtiana paupertas: quia plus eſt quod habet, quàm quod non habet. Nec pavet in iſto mundo indigentiâ laborare, cui donatum eſt, in omnium rerum Domino, omnia poſſidere. (*y*) Chriſtianus enim qui mundum non poſſidet, hic totum poſſidet Salvatorem. (*z*) Quid illi non ſufficiat, qui Deum habet, qui eſt Saddai, id eſt, ipſa ſufficientia? (*aa*)

III. *Nudus IESVS nudos quærit amicos. Id quod Chriſtus ipſe Bernardinum Senenſem docuit de vitæ ſtatu anxium, quando coram Crucifixi imagine proſtratum, in hac verba affatus eſt*: Fili mi, tu me vi-

(t) *Caßiodor. l. de anima cap.* 19. (u) *Gerlac. Solil. c.* 29. (x) *Ibid. c.* 16. (y) *Leo ſerm.* 4. *de Quadrag.* (z) *Aug. ſerm.* 128. *de Temp.* (aa) *A Lapide in* 1. *Tim.* 6. *v.* 6.

rrenarum sarcinâ levatus, ex- ac liber, Christum se vocan- queretur, ac illi soli vacaret. *ili ratione Antonius, magnus ille endor, Christo sese addixit:* Ado- obilibus parentibus orbatus, ressus Ecclesiam ex Evangelio : Si vis perfectus esse, vade, nia &c. tanquam ea sibi dicta sic Christo obtemperandum it. Itaque, vendita re fami- ecuniam omnem pauperibus . Quibus solutus impedimen- estis vitæ genus in terris co- tuit. (*d*) *Franciscus, maximus tatis cultor & promotor*, cùm Evangelio audisset : Nolite aurum, neque argentum &c. regulam servandam instituit. etractis calceis, & una con- nica, cùm duodecim socios et, Ordinem Minorum insti- *Eam porrò paupertatem vir sum- dives sic honorabat & colebat, ximiam, & cui nulla humana sset comparari. Itaque, ut Bona-*

Prosperi oper. præfixa à Io. Ant. Fla- *Brev. Rom.* (*e*) *Ibid.*

des nudum, & clavis affixum cruci: si me diligis, hîc quære, & invenies. Sed tu nudus sis, & cruci fixus, ut ego sum; sic me facilè invenies. (*a*) *Ita nudum Christum invenerat nudus Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, & Fidei præclarus Martyr: sic ad Romanos scribebat:* Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his, quæ videntur, desiderans, ut JESUM Christum inveniam. (*b*) *De sancto Prospero Aquitano, Regiensi posteà Episcopo, hæc lego:* Cùm sacræ Scripturæ assiduus ac diligens lector esset, ac frequenter Evangelistarum libros in manibus haberet, divinitùs ei oblatus est locus ille, ubi Christus quemdam admonet, dicens: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Igitur divini consilii non surdus aut segnis auditor, ad eam se ratus perfectionem vocari, cœpit continuò, ut fidelis Domini sui dispensator, quæ possidebat, inter pauperes Christi suas facultates distribuere, ut

(a) *Ribaden.* 20. *Maii.* [b] *Hieron. de Scriptor. Ecclef.*

rerum terrenarum sarcinâ levatus, expeditus, ac liber, Christum se vocantem sequeretur, ac illi soli vacaret. (c) *Simili ratione Antonius, magnus ille Eremi splendor, Christo sese addixit*: Adolescens nobilibus parentibus orbatus, cùm ingressus Ecclesiam ex Evangelio audivisset: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia &c. tanquam ea sibi dicta essent, sic Christo obtemperandum existimavit. Itaque, vendita re familiari, pecuniam omnem pauperibus distribuit. Quibus solutus impedimentis, cœlestis vitæ genus in terris colere instituit. (d) *Franciscus, maximus ille paupertatis cultor & promotor*, cùm illud ex Evangelio audisset: Nolite possidere aurum, neque argentum &c. sibi eam regulam servandam instituit. Itaque detractis calceis, & una contentus tunica, cùm duodecim socios adhibuisset, Ordinem Minorum instituit. (e) *Eam porrò paupertatem vir summè in Deum dives sic honorabat & colebat, ut rem eximiam, & cui nulla humana dignitas posset comparari. Itaque, ut Bona-*

(c) *Vita S. Prosperi oper. præfixa à Io. Ant. Flaminio.* (d) *Brev. Rom.* (e) *Ibid.*

ventura scribit, *eam*, *in omni sermone*, *modò matrem*, *modò sponsam*, *modò dominam appellabat*, *sæpè etiam reginam*, *propterea quòd in Rege regum*, *ejusq; Genitrice*, *adeò insigniter effulsisset*. Paupertatem scitote, Fratres (*suos alloquebatur*) specialem esse viam salutis, tanquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cujus est fructus multiplex, sed occultus. (*f*) *Et iterum*: Hæc est, quæ Christum in cruce associat, cum Christo in tumulo absconditur, cum ipso resurgit, & cum ipso in cœlum ascendit. Hæc est, quæ dotem agilitatis super cœlum volandi animabus ipsam amantibus etiam in hac vita concedit, &c. (*g*) *Illius Seraphini discipula*, *& in religioso instituto filia sancta Clara*, *cùm esset nobilis & opulenta*, *sua omnia in pauperes distribuit*, *ac summam paupertatem palàm professa est ad stuporem omnium*, *panè ad miraculum*. *Gregorius Nazianzenus paupertatem suas vocabat divitias*, *eâq; gloriabatur*. Paupertatem, *inquit ille*, objicient? Meas scilicet opes & copias. Atque utinam & pannos

(f) *Wading. Ann. Min.* 1210. *n.* 50.
(g) *Ibid.* 1216. *n.* 12.

hosce exuere possem, ut hujus vitæ spinas nudus percurrerem. (*h*) *Nec minor erat Basilii Magni paupertatis amor & cura. De eo sic scribit idem ille Gregorius :* (*i*) Divitiæ illi erant, nihil habere, & crux, quam solam totâ vitâ familiarem habebat, multisque pecuniis excellentiorem sibi esse existimabat. *Sanctus Ephram* dulcissimam sanè prorsusque beatam illam nobis vocem, velut paupertatis magistram, hinc in cœlum emigraturus, reliquit, qua aiebat : Nec crumena, nec baculus, nec pera, Ephræm unquam fuit. Nunquam aurum, aut argentum, aut ullam rem aliam possedi. Nam bonum Regem ad suos dicentem Discipulos audivi in Euangelio : Nihil in terra possidebitis. Quamobrem nulla me rerum ejusmodi cepit cupiditas. (*k*) *Hilarioni sanctissimo summa omnium inopia magno præsidio & solatio erat. Circumventus à latronibus, rogatusq;*, Quid faceres, si latrones ad te venirent ? respondit : Nudus latrones non timet. Et illi, Certè, aiunt, occidi potes.

(h) *Naz. orat.* 28. *n.* 33. (*i*) *Orat. in laudem S. Basilii.* (k) *Greg. Nyssen. in vita S. Ephræm.*

Possum, inquit, possum: & ideò latrones non timeo, quia mori paratus sum. (l) *Nempe*, Elementa levia sursum tendunt: sic & qui se omnibus nudant, liberè cœlos petunt. (m) *At Hilarionis paupertatem intellige ex testamento*: Omnes divitias suas Hesychio (*discipulo*) dereliquit, Euangelium scilicet, & tunicam sacceam, cucullam & palliolum. (n) *Quid Augustinus?* Testamentum nullum fecit; quia unde faceret pauper Christi, non habuit. (o) *Quid Paulinus?* Quando & ipsam Nolam Barbari vastaverunt, cùm ab eis teneretur, sic in corde suo precabatur: Domine, non excrucier propter aurum & argentum: ubi enim sint omnia mea, tu nosti. Ibi enim habebat omnia sua, ubi eum condere, & thesaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat, *subdit Augustinus, qui ista ab ipso intellexit.* (p) Posteà verò Wandalis easdem Campaniæ regiones infestantibus, cùm ab eo posceret vidua ut filium sibi re-

(l) *Hieron. vita S. Hilarion.* (m) *Guarric. Abb.*
(n) *Hieron. sup.* (o) *Sur. vitæ c. 31.*
(p) *L. 1. Civ. c. 10.*

dimeret, consumptis rebus omnibus in officio pietatis, seipsum pro illo in servitutem tradidit; (*q*) *egregiè Dominum suum imitatus*, qui propter nos egenus factus est, & tradidit semetipsum pro nobis, formam servi accipiens. *Eadem Christi paupertas Serapionem maximè nobilem & opulentum spoliavit. Unde interrogatus ab uno è stulti mundi sapientibus, per contemptum, an fortè in latrones incidisset, qui ita illum omnibus denudassent? respondit*, Ita est, ut dicis: *& educto è sinu Euangelii libro*, En, *inquit*, latronem, qui me omnibus, quæ habebam, exuit, sic ut ne meipsum quidem mihi reliquerit. *Quin posteà & ipsum sacrum codicem vendidit in eleëmosynam; imò & seipsum vendendum tradidit, ut esurientibus egenæ viduæ filiis succurreret.* (*r*) *Idem respondit, & fecit Bisarion itidem Abbas apud Palladium*; (*s*) *apud quem* (*t*) *& alter Monachus insigniter misericors, rogatus cur omnibus omninò in pauperum gratiam se spoliaret, similiter respondebat*; Quî possum meo persuadere Magistro, me ejus artem accuratè didicisse, nisi

(q) *Brev. 22. Jun.* (r) *In vita S. Ioan. Eleëm. & alibi.* (s) *Hist. Lausiaca c. 16.* (t) *c. 15.*

illo ipso usus fuero ad artem rectè exercendam? *Præclaram hanc divini Magistri artem insigniter exercuere, Alexius Romanorum nobilissimus, qui relictis omnibus, etiam sponsâ, mendicum induit, & egit septemdecim annos ad illustres orbis terræ Ecclesias peregrinatus, tum ad portum Romanum Deo dirigente appulsus, & à patre suo tanquam alienus pauper hospitio acceptus, decem alios & septem annos vixit, omnibus incognitus:* (u) *Constantinopoli, Ioannes, Eutropii tribuni filius, dictus* Mendicus propter Christum, & Calybita *à tuguriolo, sub quo, è monasterio divino instinctu regressus, pauperis habitu, in atrio parentum commoratus est tres quatuórve annos, ibiq; sepultus:* (x) *Rumoldus, Scotorum regis natu primus, deinde Dublinensis Archiepiscopus, Martyr, ac Mechliniensium Tutelaris, qui nunquam adduci à parentibus potuit, ut regni posthuma gubernacula animo, minus reipsa, susciperet, hæc reponens:* Dominus JESUS, qui mundanum respuit imperium, mandavit, ipsum sequerer nudus: (y) *Gregorius Neocæsareensis Ponti Episcopus*

(u) *Brev.* 17. *Iul.* (x) *Bolland. Si. Martin* 15. *Ian.*
[y] *In vita apud Beyerlinck Apopht. v.* mundus.

Episcopus, à miraculis Thaumaturgus vocitatus, vir planè divinus, & rerum terrenarum contemptor admirandus, ut suis mandaverit, ne ullum locum proprium ei ad sepulturam compararent; sed hoc, inquit, narretur posteris, quòd Gregorius, neque vivus, alicujus rei possessor est nominatus, & post mortem, alieni sepulchri fuerit inquilinus. Admiranda profectò (*subdit Historicus*) & communi præconio major illa virtus, quæ solam eam possessionem judicavit pretiosam, quæ in se avaritiæ non suscepit vestigium. (z) *Eodem paupertatis Christi exemplo & imitamento, ut complures alios Reges Principesq; omittam, Elesbaan, Æthiopum Rex Christianus maximè pius, detractam è capite coronam, & cum ipsâ omnem imperandi cogitationem, Hierosolymam dono Christo, pro nobis olim egeno facto, misit, lætusq; cum inopia commutavit.* (aa) *Bamba Hispaniarum Rex, devictâ ac demersâ ducentarum Africanarum navium hostili classe, captoq; Rege Paulo ex Gallia irrumpente, quasi commune mortalium bonorum*

(z) *Lippeloò 17. Novemb. fine.*
(aa) *Baron. an. 522.*

naufragium vidisset, spreto mundi applausu, in tutum paupertatis portum sese recepit, majoribus cœli opibus inhians & plenus; (bb) *sapè in cœlos cor & oculos tollebat, dicebatq; cum magno Augustino,* (cc) Jam ibi in desiderio sumus; jam spem in illam terram, quasi anchoram præmisimus, ne isto mari turbati naufragemus. *Carolomannus, Caroli Martelli primogenitus, abdicato Austrasia & Thuringia Principatu, mendicans pedes Romam venit, ut in monasterio pauperem vitam ageret soli Deo notus, ac in Caßinensi sancti Benedicti, pecorum custodem egit.* (dd) *Cunegundis Augusta virgo, ab Imperatoris Henrici pariter virginis obitu, sese rebus humanis omnibus abdicavit, Christóque cœlesti Imperatori, in cœnobio Virginum sancti Benedicti ab ipsa quondam extructo, Bamberga, se totam mancipavit, viliβimis culina valetudinariiq; ministeriis intentiβima. Instante morte, cùm pretiosiorem cerneret proferri feretri apparatum, illum jußit auferri, tamquam alienum & sibi non convenientem, viliq; amictu voluit involvi miserum,*

(bb) *Plat. de bono Stat. relig. l.* 2. *c.* 26. *Bartoli paup. contenta c.* 9. (cc) *in Ps.* 64.
(dd) *Baron.* 747.

ita vocabat, *cadaver*. Nuda, *inquiebat*, egressa sum de utero matris meæ, & nuda revertar illuc. (*ee*) *Verissimè pronuntiavit Thomas Saillius noster, paupertatis amantissimus etiam in aula Alexandri Farnesii Belgarum Gubernatoris*; Nihil esse tam gloriosum, quàm mori in purpura paupertatis. (*ff*) *Sancta VValdetrudis, regio sanguine oriunda, sic paupertatem, Christum Dominum suum imitatura, amabat, ut conjugi suo Madelgario, Hannoniæ Comiti, mundi contemptum & paupertatis amorem efficaci sermone impressserit. Quare hic, abdicatis omnibus, in Cœnobio Alti-montis religiosam vitam professus est, sanctissimam duxit & finiit, assumpto Vincentii nomine; sub quo hodie colitur. Ipsa verò VValdetrudis mundo etiam valedixit, atque paupertatem thesauris omnibus ac sceptris prætulit, hoc principio seu axiomate usa; Deum creaturæ suæ non tradere se possidendum, nisi prorsus exutæ rebus, quas mundus stultè magni facit. Vnde, neque sororis suæ, sanctæ Aldegundis Malbodii Abbatissæ, hortatu, adduci potuit ad deserendum pauper suum & angustum mo-*

(ee) *Sur. & alii* 3. *Mart.*
(ff) *Rhò Hist. virt. l.* 7. *c.* 11.


nasterium; ut cum illa Malbodium concederet; memor tugurii seu spelai, in quo Rex regum Christus nasci pro hominibus voluit. (gg) *Miraris tantum paupertatis amorem & studium etiam in viris feminisq; maximè illustribus, &, ut nullus dubito, laudas, mi Christiane: quin imitaris? Praivit Christus*, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. (*hh*) Sapientia Dei hominem, ad exemplum, quo rectè viveremus, suscepit. (*ii*) Ipse est enim qui direxit gressus nostros, ut viam ejus vellemus.... Viam Christi si vis, & verè Christianus es (ipse enim est Christianus, qui non aspernatur viam Christi) noli per aliam viam velle ire, quàm per illam, qua ipse ivit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via. Alia fortè delitias habet, sed latronibus plena est. (*kk*) Ego sum, *inquit*, via, & veritas, & vita. (*ll*) Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. (*mm*) *Nudus ergo nudum se-*

(gg) *Turr. le Févre* 9. *April.* (hh) 1. *Petr.* 2. (ii) *Aug. l.* 83. *qq. q.* 25. (kk) *Aug. in Ps.* 36. *conc.* 2. (ll) *Ioann.* 14. (mm) *Bern. serm.* 2. *de Ascens.*

quere : &, si fortè non licet tibi, etiam censu pauperem esse, esto saltem spiritu & affectu : velut inops inter opes vive, opum non amator, non sordidus custos, sed tanquam bonorum à Deo tibi creditorum, ad supremi largitoris gloriam, ad subsidium egenorum, tuorum & Christi fratrum, fidelis dispensator. Qui pauperi impertitus fuerit, in partem ejus, qui propter nos pauper fuit, seipsum constituet. Egenus fuit Dominus, ne tu quidem metuas egestatem. Verùm regnum obtinet omnis creaturæ, qui propter nos egenus fuit. Ergo si cum eo, qui egenus fuit, unà pauper eris, cum regnante quoque unà regnabis. (*nn*)

[nn] *Nyssen. l. de Beatitud. orat. 1. fine.*





CONSIDERATIO XXVII.

DIVITIARUM CONTEMPTUS.

I. NOlite thesaurizare vobis thesauros in terra. (*a*) quia non estis de terra, nec de terra venistis; sed pro tempore de terra suscepistis terram, ut per terram vincatis terram; sed de cœlo estis, & de cœlo venistis, & iterum redituri estis in cœlum, nisi ultrò remanere volueritis in terra. Illic ergo substantiam tuam colloca, ubi patriam habes. Vis autem scire, quia peregrinus es in hoc mundo? Audi Prophetam dicentem: Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua. (Ps. 118.) Quæ est ergo insipientia, ut contentus sis super terram: id est, in alienis vis servire diabolo, cùm possis in cœlis, id est, in propriis, regnare cum Christo?... Quæ est stultitia, illic relinquere, unde exiturus es; & illuc non præmittere, quò iturus es? Verè au-

[a] *Matth.* 6.

tem, malè servatas divitias, etsi corporaliter non perdidisti, spiritualiter perdidisti, quia nec tibi proficiunt ad usum salutis. Quidquid enim pro anima tua feceris, hoc est tuum: quod autem reliqueris, perdidisti. Nam quod corporaliter malè congregatur, spiritualiter dispersum videtur & perditum: quod autem corporaliter benè dispergitur, spiritualiter illud congregatum & repositum videtur in cœlo. Ubi enim fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Qui collocat thesauros in terra, non habet quod speret in cœlo. Ut quid enim aspiciat in cœlum, ubi nihil repositum habet? (b) Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. (c) Et quomodo potest quis rapere? inquit. Disperge, quæ habes in manibus. Quousque enim præsentia servas, illud rapere non poteris. Propone tibi hominem plenis argento manibus; quoad id tenuerit, numquid aurum rapere poterit, nisi id priùs projiciat, & expeditus fiat? Rapientem, benè expeditum esse opor-

(b) *Auth. op. imp. in Matth. hom.* 15.
(c) *Matth.* 11.

tet, ne quid eum impediat; siquidem etiam nunc contrariæ potestates sunt obviæ, ut id nobis auferant. Quas fugiamus, quæso, fugiamus, & nullam extrinsecus ansam relinquamus, incidamus funes, nudi à sæcularibus emergamus. Quis usus pretiosarum vestium? Quousque tandem his ridiculis implicamur? Quousque aurum defodiemus? (*d*) Non enim potest homo amare quod æternum est, nisi destiterit amare quod temporale est. Intendite amorem hominis. Sic putate, quasi manum animæ. Si aliquid tenet, tenere aliud non potest. Ut autem possit tenere quod datur, dimittat quod tenet. Hoc dico: videte quia apertè dico. Qui amat sæculum, amare Deum non potest: occupatam habet manum. Dicit illi Deus: Tene quod do. Non vult dimittere quod tenebat: non potest accipere quod offertur. Numquid dixi, Non possideat nescio quis, si potest? Si hoc de illo exigit perfectio, non possideat. Si non potest aliquâ necessitate impeditus, possideat, non possideatur: teneat, non

[d] *Chrysost. in Euan. Ioan. hom.* 53.

teneatur; dominus sit rei suæ; non servus avaritiæ. (*e*) Dominus est rerum quas habet, qui nulla cupiditate irretitur. Nam qui terrenorum amore obstringitur, non possidet, sed possidetur. (*f*) Noli curvare cervicem tuam mundi premendam pondere, noli inhiare auro atque argento, ne te sæculi vinculis alligandum præbeas. Ideò dixit Dominus: Nolite possidere aurum atque argentum (Matth.10.) ne nos auri atque argenti cupiditas avara possideat. Noli ergo inserere collum tuum diaboli laqueis. (*g*) Cur, amabo, tanti facis, atque adeò suspicis aurum? Quis, obsecro, ex istis, qui ornatui nimiùm student, horam vitæ suæ apponere potest? Cui pepercit mors ob divitias? Quem morbus ob divitias non afflixit? (*h*) Quid deinceps futurum est? Nónne tres te terræ manent cubiti? Nónne pauci lapides satis erunt, ad infelicis tui corporis sepulturam? .. Cur inanes stipulas manibus colligis? (*i*) Ecce, dives,

(e) *Aug. serm.* 15. *è* 40. *novis.* (f) *Prosper sentent.* 197. (g) *Ambr. in Ps.* 118. *serm.* 5. (h) *Basil. orat.* 14. *de divitiis.* (i) *Basil. orat.* 15. *de avarit.*

nihil intulisti in hunc mundum; sed nec auferre hinc aliquid potes... Certè quando casu aliquo vetera sepulchra franguntur, ossa divitis agnoscuntur? Ergo, dives, audi Apostolum (1. Tim. 6.) Nihil intulimus in hunc mundum. Agnosce, verum est. Sed nec auferre aliquid possumus. Agnosce, & hoc verum est. Quid ergo sequitur? Victum & tegumentum habentes, his contenti simus. (k) Nudi nati sumus; nudi etiam morituri. Quidquid hîc invenitur, hîc relinquetur. Non est nostrum, quod non semper nostrum est. Tanquam peregrini ergo sufficienti usu contenti simus: illas divitias acquiramus, quas nobiscum ad cœlestem patriam ferre possimus. (l) *Vnde alienas esse, non nostras, divitias hujus sæculi, docet Magister noster Christus*: Si in alieno, *inquit*, fideles non fuistis: quod vestrum est, quis dabit vobis? (m) *Vbi Augustinus*: Alienas appellat facultates, quia nemo eas secum aufert. (n) *Et Euthymius*:

(k) *Aug. de verb. Dom. serm.* 5. (l) *Hieron. in illud* 1. *Tim.* 6. (m) *Luc.* 16. (n) *Aug. l.* 2. *Euang. qq. c.* 35.

Christus alienum vocat, terrenas divitias; quippe quæ apud illum non permaneant, qui ipsas est assecutus: nostrum autem, cœlestes, ut quæ apud illum permaneant, qui ipsas accipit. (o) *Denique Venerabilis Beda:* Alienæ sunt à nobis hujus sæculi facultates, id est, extra naturam sitæ... Nostra autem possessio, regnum cœlorum est. Nostra vita, Christus est. Nostræ opes sunt spiritalium operum fructus. (p) Dei enim servus verè ille est, qui cetera omnia superavit. Nam Deo servire quispiam non potest, nisi omnia quæ in hoc mundo sunt, propter Deum spreverit. (q) Vivere secundùm Deum, impossibile est, homini voluptatibus & avaritiæ dedito. (r) *Ideò pronuntiat Veritas:* Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. (s) Cur timido animo Christianus es?... Hæreditatem expectans sæculi, cohæres Christi esse

(o) *Euthym. in illud Luc.* (p) *Beda ibid.*
(q) *Gregor. Nyssen. de vita Mosis.* (r) *Pastor Abb. Apopht.* 14. *apud S. Ephraem.*
(s) *Luc.* 14.

non poteris. (t) Dominus pauperem facit, & ditat. (u) *Vbi Gregorius Magnus*: Pauperem Domino facere, est in contemplatione bonorum perennium, electorum mentes ad contemptum rerum omnium excitare. . Etiam ditat Dominus: quia nimirum dum ab omnipotenti Deo bonorum cœlestium cognitionem percipimus, ab ipso etiam virtutem consequimur, ut digno pro eis labore certemus.

II. Beata mens, quæ peregrinationis suæ tempore, castâ sobrietate transcurrit; & in iis, per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, ut hospita magis, quàm domina terrenorum; nec affectibus sit innexa humanis, nec promissionibus desit divinis. (a) Non potest dominari omnibus, nisi is qui propriis non tenetur. Dejectæ mentis est, qui familiaris rei meminit, cùm vocatur ad regnum: jacens animus plebeius nummulum thesauris regalibus anteponit: pauper sensus parvis incubans, perdit magna;

[t] *Hieron. epist.* 1. *ad Heliodor.*
[u] 1. *Reg.* 2.
[a] *Leo de Quadrages. serm.* 11.

& inhians temporalibus, perdit ſempiterna.... O homo, ſi hîc permanſurus es, quæ tua ſunt, hîc repone: ſi illuc iturus es, hîc, quæ tua ſunt, cur relinquis? Qui relinquenda ſervat, alienorum cuſtos eſt, non ſuorum. (*b*) Non enim permittit Dominus migrantes ea ſecum auferre, ſive domos ædificaverimus, ſive coëmerimus agros, ſive ſervos, ſive ſupellectilia, ſive quid aliud ejuſmodi. Nec tantùm, non permittit abeuntes quidquam aſportare, ſed neque tibi mercedem computat. Tibi namque prædixit, quòd non ædificabis, nec impendes aliena, ſed tua. Quid igitur tua dimittens, alienis operaris, & erogas, ut & laborem & mercedem amittas, & extremam ſubeas ultionem? Ne, quæſo, ſic agas; ſed poſtquàm naturâ ſumus peregrini, ſimus & voluntate, ne peregrini fiamus illic ignobiles & abjecti. (*c*) Numquid viſibilium quidpiam ſemper manet? Nihil; ſed anima ſola omnium quæ ſunt in nobis: & hanc negligimus; eorum quidem, quæ va-

(b) *Chryſol. ſerm.* 22.
(c) *Chryſoſt. hom.* 36. *ad Pop.*

riantur, tanquam permanentium, multam gerentes curam: manentis autem semper, tanquam transeuntis, nullam habentes rationem.... Fabula quædam est & somnium, vita. Sicut enim in scena, aulæo sublato, varietates dissolvuntur, & omnia coruscante luce somnia avolant: ita nunc quoque consummatione veniente tam communi, quàm uniuscujusque, omnia dissolvuntur & evanescunt. (*d*) Si attendamus, innumera his inesse pericula, momentaneamque voluptatem, eamque tristibus sæpè permixtam: si divitias illas æternæ vitæ, intentâ cogitatione volvamus: tum demum has contemnere dabitur, si cogitemus nihil nobis prodesse illas, non ad gloriam, non ad sanitatem, non ad aliud quidquam, sed contrà nos in interitum mergere, pœnamque perpetuam. Hîc dives es, plurimosque in tua potestate habes? at illic desertus eris, destitutus, & nudus. Si hæc perpetuâ meditatione versemus, aliosque docentes audiamus, erit & fortassis salubritas quædam, evademusque sempiternos illos crucia-

(d) *Idem hom. 55. ad Pop.*

tus. Rapit animum auri fulgor & nitor? cogita & terram ac cinerem & fuisse priùs, & modò esse. Placet pretiosa & serica vestis? at vermium ille contextus est; opinio est & humana præsumptio: nihil habet in se naturalis pulchritudinis. (e) Quid igitur, nobis posthabitis, studium in hæc omne concitamus, quorum sumus post vitæ hujus excessum expertes futuri; quinimò persæpe in humanis agentes, potiri haudquaquam possumus? (f) Abjice abs te divitiarum onera, abjice vincula voluntaria, abjice anxietates & tædia, quæ te pluribus in annis inquietant. . . . Obliviscere quod es, & attende quid futurus es. Præsens vita fragilis est, & in mortem proclivis. Nemo potest stare, sed omnes cogimur transire. (g) Expedit esse nudos, cum diabolo, qui nudus est, luctaturos. Nudus athleta fortiùs dimicat: natator exuitur, ut fluvium transeat: viator, rejectis sarcinulis, benè cursitat. (h) Si calceamenta quis supra

(e) *Chrysost. in* 1. *Tim. hom.* 17. (f) *Idem ser. de miseric. to* 5. (g) *Aug. de verb. Dom. serm.* 25. (h) *Bern. in cœna Dom. serm.* 2.

mensuram pedibus adegerit, itinere certè prolixiori impedimenta sentiet: & vestimentum induens corporis staturam excedens, pari modo implicabitur. Atque superfluum ubique in eo quod satis est, ad opportunitatem inutile est: in pecunia multò fortiùs id evenit. Et, qui supra quod est satis, habent, non modò in ipsa sufficientia, sed & in ipsis quibusdam necessariis impediuntur. Nam qui desoris in agone currunt, & ipsa exuunt vestimenta. Viam verò in cœlum ferentem, & eandem arctam & arduam, tot cum impedimentis quomodo poteris ambulare? quandoquidem & veloci & expedito cuiquam pænè impossibile est, desideratum iter optimum hujus viæ, sive salutem, consequi. Sparge igitur superflua in pauperes; &, quod invitus fortasse paulò pòst ipsis inimicis es cessurus, idipsum volens depone: tuaque fac, quæ tua nunc non sunt. (*i*) Domus quippe tua cœlum est... Ignoras quia etiamsi decies mundum, vel centuplùm, vel decies millies, vel duplo toties ponas,

(i) *Chrysost. de pænit. hom.* 7.

neque minimo bono cœlesti comparandum est? Qui igitur res sæculi miratur, cœlestes contemnit. Siquidem ista appetenda esse arbitratur, quæ plurimùm inferiora illis sunt. (k) Bona illa sunt, quæ sunt spiritalia, divina, cœlestia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiscum apud Deum perpetuâ possessione permaneant. Cæterùm quæcumque terrena sunt in sęculo accepta, & hic cum sæculo remansura, tam contemni debent, quàm mundus ipse contemnitur, cujus pompis & delitiis jam tunc renuntiavimus, cùm meliore transgressu ad Deum venimus. (l)

III. Præ omnibus abundare, magisque regios esse eos censeo, qui divitiarum cupiditatem calcarunt; quibus annumerari omni ope adnitamur: tametsi plerique tyrannidem ejus, velut statuam Babyloniorum, adamaverint. Nos verò trium puerorum robur imitati, etsi tubarum voces, ac fistularum, totiusque musicæ artis, per aëra delatæ; auribus circumsonent,

(k) *Chrysost. in epist. ad Hebr. hom.* 25.
(l) *Cyprian. de habitu Virginum.*

& fornax inopiæ accendatur; ne tympanis attendamus, neque tibiis, ac ne reliquis quidem opum phantasmatibus; (a) *sive, ut loquitur Petrus Blesensis*, opibus sophisticis... Pauci divites moriuntur, qui in exitu hujus vitæ non desiderent fuisse pauperrimi. Ideoque & plerique providentiæ oculum dirigunt in futurum, spiritualem ducentes in divitiis paupertatem. David in regali solio sedens, inquit, Domine, inclina aurem tuam, & exaudi me, quia inops & pauper sum ego (Ps. 85.) Et alibi: Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea. (Ps. 87.) Elegans & præclarum Dei donum est paupertas, si tamen hanc inter Dei dona computare dignetur impatiens & ambitiosa temeritas. Nabuzardan in subversione Jerusalem cunctis pauperibus in pace dimissis, solos divites captivavit. (Jerem. 52.) Christus domum Reguli intrare noluit (Joan. 4.) ne videretur divitias honorare. (b) Nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio subjacet,

(a) *Isid. Pelus. l. 5. epist. 36.*
(b) *Petr. Bles. epist. 60.*

quàm quòd ipse Dominus in nullis divitiis invenitur. Semper pauperes justificat, divites prædamnat. (c) Dicit namque Veritas de pauperibus, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. (Matth. 5.) Si est regnum cœlorum pauperum, restat ut infernus sit divitum. Hoc quoque declarat nobis Euangelista (Luc. 16.) dicens: Homo quidam erat dives &c. Mortuus est autem dives,& sepultus est in inferno... Quisquis ergo vis regnare cum Christo, elige pauperiem cum ipso, ut requiescas cum Lazaro mendico. Nemo enim potest gaudere cum sæculo, & regnare cum Christo... Qui vult epulari cum divite, præparat se epulas vermibus gehennæ, in qua pro gaudio momentaneo ardebit perpetuè cum capite suo diabolo... Quapropter nos illud Euangelicum ruminantes: Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? (Matth. 16.) voluntariè nunc pro Christo ponamus quandoque dimittenda: ne, quod absit,

(c) *Tertull. l. de patientia.*

pro transitoriis amittamus æterna. (d) Incipiamus à terrenis rebus animum avocare. Pecuniam, & omnia quæ mentem demergunt atque opprimunt, contemnamus. Onus abjiciamus, ut navis parumper sublevetur. Tempestate jactati, abjiciamus & magnam supellectilis partem, ut animus tanquam gubernator, undarum impetum queat sustinere, saluti consulere. (e) Ad summum, illud perspicere debemus, quòd etsi nostras velimus retentare divitias, lege mortis ab ipsis divellamur inviti. Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? Cur non, ad lucranda cœlestia, ultrò relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum curæ sit Christianis, quæ secum auferre non possunt. (f) *Hoc præclarè intellexit, & unicè auditoribus undique affluentibus, contentâ voce, singulari exemplo, commendavit* magnum illud orbis terrarum miraculum, (g) *Simeon Stylites; qui cùm audisset in templo legi Euangelicas Beatitudines, mox relictis ovi-*

(d) *Aug. de contemptu mundi c. 7.* (e) *Nilus Abb. lib. ascet.* (f) *S. Anton. in vita per S. Athanas. c. 5. apud Bollandum.* (g) *Theodoret. de vitis PP. c. 26.*

bus, quas pascebat, monasterium adiit, inde columnam, in qua stetit ipsos 80. & amplius annos. (h) *Ex illa, ceu pulpito, bis in die dicebat ad confertissimam turbam, in hac verba :* Contemnite terrestria; amate, & ambite cœlestia, quæ sola vos beabunt. *Ita præ cœlestibus terrena omnia contempserunt, è recenti memoria, ex Iaponia, Iustus Ucondonus, qui in exilium pulsus, & amissione duorum principatuum; atque à possessione annui census aureorum septuaginta millium, in extremam egestatem subitò redactus, patre etiam, fratre, conjuge, liberisq́; spoliatis, amœno tamen vultu perstitit, quòd sibi pro Religione & spoliari & meri gloriosum duceret :* (i) *Didacus Gonnoia Iapon etiam nobilissimus, & Imperatori in primis gratiosus, qui exilio pro Christiana fide mulctatus, datis ad P. Hieronymum de Angelis litteris, gratulabatur sibi, quòd terrenis spoliato, liceret liberiùs aspirare ad cœlestia, atque uni sæculorum Regi inservire :* (k) *Ex Anglia, Franciscus Tregianus, nobilissima familia, qui quòd Dominum Cur-*

(h) *Baron. an. 460.* (i) *Hist. Soc. p. 5. l. 7. n. 217. & seqq.* (k) *Nic. Trigault. l. 1. de Christian. apud Iapon. triumphis. c. 7.*

bertum Mayn, Sacerdotem, & primum è Seminario Duaceno fidei Catholicæ, pretiosâ morte, assertorem, excepisset hospitio, bonis omnibus à judice spoliatus, generosè sic elocutus est : Pereant opes, quæ si non periissent, possessorem fortè perdidissent. (*l*) *Matrona item Angla ob fidem in Belgium profuga, amissis fortunis benè amplis, castris quatuor, continenter Deo gratias agebat, quòd temporalium bonorum sollicitudine libera, uni deinceps Deo vacare quieta posset.* (*m*) *Ex Italia, Scipio Cobellutius, vir longo Principum usu, ac bonarum artium gloriâ prænobilis, etsi plures jam annos Paulo V. ab epistolis esset, vas tamen argenteum habebat nullum, donatumq; sibi purpurato liberè doleret, quòd illa usurpare ampliùs non posset,* Argentum & aurum non est mihi. (*n*) *Albertus Mecinski Polonus è Senatorio Regni ordine, currente etiamnum Novitiatûs tempore Româ in Poloniam remissus, demortuo, post matrem, unico, quem habebat, fratre Stanislao, adeoq; omni domus opulentæ fortunâ, ad eum devolutâ, cùm propinqui &*

(l) *D'outreman Pædag. t. 2. p. 2. c. 4. ſ. 2.*
(m) *Litt. Ann. Belg. 1582.*
(n) *Rhò hist. virt. l. 7. c. 11.*

affines omnes unanimiter instarent, ut propaganda illustrißima stirpis, in se unum tandem recumbentis, spem promoturus, Societatem desereret; nihil istis dimotus de proposito Euangelica paupertatis, opulentissimam hareditatem pro amore Christi in ejus pauperes divisit, eâq; de re confectis legitimis tabulis, latus exclamavit: Jam nihil ultrà habeo, quod Deo meo offeram amplius: Dedi facultates, dabo & sanguinem pro nomine ipsius. *Et verò generosè dedit; in Iaponia Nangasachi, post toleratum multis mensibus infusa aqua & violenter expressa crudele tormentum, in scrobem è pedibus suspensus, anno* 1643, *pro fide, pro Dei gloria triumphavit.* (o) *Ita nimirum, qui pro Christo divitias contemnit, paratus est & pro Christo sanguinem & vitam profundere. At ex adverso,* Quomodo, *ait Augustinus,* pro Christo suum dabit sanguinem, qui pro eo non vult abjicere mundi vanitatem? (p) Quicumque igitur seriò cupit thesaurum æternæ vitæ comparare, seriò etiam cogitet ac recogitet, an paratus sit omnia alia bona

(o) *Matthi. Tanner Soc. IESV milit.*
(p) *Aug. de contemptu mundi c. 6.*

contemnere: alioqui thesaurum illum sine quo miserrimus & pauperrimus in æternum erit, nunquam neque vivus neque mortuus obtinebit. (q)

(q) *Bellarm. de eterna felic. l. 5. c. 1.*



CONSIDERATIO XXVIII.

VERÆ DIVITIÆ.

I. DUo divitiarum esse genera à Scriptura didicimus: unum quod probetur & expetatur, alterum quod damnetur & improbetur. Expetendæ quidem atque probandæ virtutum divitiæ sunt: criminationibus autem obnoxiæ sunt & improbantur materiales pariter atque terrenæ: quoniam illæ quidem animæ opes existunt: hæ verò ad decipiendum sensuum vasa idoneæ sunt. Quamobrem has colligere Dominus vetat, quippe tinearum corruptioni, insidiisque nocturnorum

norum furum expoſitas. Sublimium autem rerum divitiis, quas vis corruptrix non attingit, ſtudere nos jubet. (*a*) Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur; & ubi fures non effodiunt, nec furantur. (*b*) *Hos veros eſſe theſauros, ſoloſq; expetendos, ſcribit Prædicator veritatis, ſuum inſtruens Timotheum:* Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublimè ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) benè agere, divites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. (*c*) *Igitur* ſi opes inquiris, illas quære, quæ permanent, quæ firmæ perdurant, quæ ex operibus bonis oriuntur. (*d*) *Unde idem Apoſtolus eidem* dilecto filio in fide, *præcipit, ut mun-*

(a) *Greg. Nyſſ. de Beatitudinib. orat.* 1.
(b) *Matth.* 6. (c) 1. *Tim.* 6. (d) *Chryſoſt. ibi.*

dana, hoc est, vana & pernitiosa bona fugiat: solas virtutes, veras hominis opes, sectetur. Tu autem, ò homo Dei, hæc fuge. *Vbi Chrysostomus:* Magna laus ac dignitas! Omnes quidem sunt homines Dei, ab eo scilicet conditi: sed justi propriè, qui non modò conditionis, verùm familiaritatis quoque jure, illi conjuncti sunt, Dei homines merentur appellari. Si homo, inquit, Dei es, noli superflua quærere, & quæ ad Deum non ducunt: sed fuge. Sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem. *Tales homines Dei, à Siracide dicuntur, uti revera sunt*, homines divites in virtute. (*e*) Beati filii, quorum tota est in patris charitate substantia! Beati, quibus manet tota in obsequio patris, in patris cultura possessio! (*f*) Illa verò virtus nostra est. Pecuniæ verò, ne nostræ quidem, nostræ sunt, nedum alienæ. Sed nunc quidem nostrum est, cras verò non jam nostrum. Virtutis autem bona sunt nostra: non enim hæc, sicut illa, jacturam facit; sed omnibus tota præsens adest. Hanc itaque possi-

(e) *Eccli.* 44. (f) *Chrysol. serm.* 1.

deamus; & contemnamus pecunias, ut vera consequi bona possimus. (g) His dives reditibus non quærit temporalia, quia æterna possidet. (h) *Ea sunt salutis divitiæ, is hominis Deo dilecti thesaurus; de quo Isaias:* Divitiæ salutis sapientia & scientia: timor Domini ipse est thesaurus ejus. (i) Timenti Dominum benè erit. (k) Gloria & divitiæ in domo ejus: (l) quia ipse Dominus possessio ejus est. (m) Rectè ergo Propheta David Deo suo dixit: Tuus sum; qui semper in Deo mansit. Et qua ratione dixerit, Tuus sum, addidit: Justificationes tuas exquisivi: hoc est, nihil aliorum quæsivi, sed id solum, quod tuum est, desideravi. Alii quærunt monilia pretiosa: ego solas justificationes tuas quasi quædam serta justitiæ. Alii domum ad domum, villam ad villam jungunt, quasi soli habitare possint in terra hac, & elementum volunt occupare commune: alii possessionem aëris ipsius vindicare: mihi in tuis justificationibus

(g) *Chrysost. hom.* 36. *ad Pop.* (h) *Ambr. ep.* 24. (i) *Isai.* 33. (k) *Eccli.* 1. (l) *Ps.* 111. (m) *Deuter.* 10.

patrimonium est. Nescio possidere, nisi quod tui juris est. In tuis eloquiis spiritalis mihi cura refulsit argenti. Mihi portio Deus est. Tuus sum ego, quia pars mihi hereditatis non in auro, non in argento est, sed in Christo JESU. (*n*) Avare, ecce habes omnia. Omnia quæ amas, ut non impediaris à Christo, contemne, & ipsum tene, in quo possis omnia possidere. (*o*) Fur tibi tollit aurum; quis tollit Deum? Quid habet dives, si Deum non habet? Quid non habet pauper, si Deum habet? (*p*) Vis ditari? Amicum habeas Deum, & eris omnium ditissimus. (*q*) Deus tibi totum est. Si esurieris, panis tibi est: si sitieris, aqua tibi est: si in tenebris es, lumen tibi est, quia incorruptibilis manet: si nudus es, immortalitatis tibi vestis est. (*r*) Honor noster, Deus est: divitiæ nostræ, Deus noster. Quæcumque hîc varia quæris, ipse tibi unus omnia erit. (*s*) Hic est thesaurus noster, hic est vita nostra, hic

(n) *Ambr. in Ps. 118. serm. 12. num. 6.*
(o) *Aug. hom. 34. ex 50.* (p) *Aug. ser. 205. de Temp.* (q) *Chrysost. hom. 2. ad Pop.* (r) *Aug tr. 13. in Evang. Io.* (s) *Idem de verb. Dom. serm. 4.*

est sapientia nostra, justitia nostra, pastor noster, & pastor bonus, hic est vita nostra. Vides quanta bona in uno bono. (*t*) Et quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus Conditor census, & hæreditas ejus dignatur esse ipsa Divinitas? ... Denique quid ultrà quærit, cui omnia suus Conditor fit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? (*u*) Quidquid aliud habueris sine ipso, latiùs inanis eris. (*x*) Ille dives est, qui fuerit hæres Dei, cohæres Christi. (*y*)

II. Heu quàm subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit! quantâ cœcitate oculos nostræ mentis obducit! ne discernamus, gaudendi avidi, unde justiùs gaudeamus: aut ne cupientes augeri divitiis, noverimus, quas quibus incomparabiliter præferamus. Nam gaudere quidem bonum est: sed qui gaudet, si non inde gaudeat unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. .... Ditari quoque divitiis grande est bonum: sed inde ditari

(t) *Ambr. ep.* 11. (u) *Prosper l.* 2. *de vita contempl, c.* 16. (x) *Aug. in Ps.* 85. (y) *Ambr, ep.* 82.

unde non debeas, non eſt habenda facultas, ſed deteſtanda calamitas. Nihil enim calamitoſius, nihilque miſerius eo, qui iniquis acquiſitionibus creſcit, quem locupletem fraudes faciunt ac rapinæ. Illæ nobis ſunt ambiendæ divitiæ, quæ nos ornare poſſint pariter & munire: quæ nos contra hoſtiles impetus armant, à mundo diſterminant, Deo commendant, ditant animas noſtras atque nobilitant, nobiſcum ſunt, intra nos ſunt. Divitiæ noſtræ credendæ ſunt pudicitia, quæ nos pudicos, juſtitia quę juſtos, pietas quę pios humilitas quæ humiles, manſuetudo quæ manſuetos, innocentia quæ innocentes, puritas quæ puros, prudentia quæ prudentes, temperantia quæ temperantes, & charitas quæ nos facit Deo & hominibus charos, virtutum potentes, ſæculi contemptores, ac bonorum omnium ſectatores. (*a*) Solæ divitiæ veræ ſunt, quæ nos virtutibus divites reddunt. Si ergo, Fratres chariſſimi, divites eſſe cupitis, veras divitias amate. (*b*) Vultis eſſe divites?

(a) *Proſper de vita contempl. l. 2. c. 13.*
(b) *Greg. hom. 15. in Euang.*

estote pauperes. Tunc eritis per omnia divites, si fueritis pauperes spiritu. (c) Veræ ergo divitiæ non opes sunt, sed virtutes: quas secum conscientia portat, ut in perpetuum dives fiat. (d) Bona enim sunt propria, honestas, sobrietas, misericordia, castitas: quæ bona omnia auro magis sunt pretiosa. Ut sciatis, quia his ita viliora sunt metalla auri; talenta emi possunt, argenti vasa comparari possunt: honestas sola emi non potest. Honestas enim non emitur, sed acquiritur; quia non constat pretio, sed virtute. Tu igitur qui aurum possides, si placet, bona invicem conferamus. Tu cùm peregrè proficisceris, thesauri tui necessariò domi remanent, quibus longè à te positis, semper trepidus, semper incertus es, cùm domum redieris non habeas quod habebas. Ita dum semper amissionem eorum metuis, apud conscientiam tuam nudus & pauper es. Ego autem quocumque iero, meæ divitiæ me sequentur, nec separari à me possunt bona, quoniam non terreno spe-

[c] *Ambr. epist.* 82.
[d] *Bern. serm.* 4. *in adventu.*

cu, sed thesauro pectoris retinentur. Tu cùm recedis è sæculo, relinquendo tuas divitias perdidisti: ego autem, cùm mihi de hoc mundo migrare contingit, divitias meas ad paradisum veho. Tuas divitias post mortem, exemplo illius purpurati, ignis & tenebræ subsequentur: meas divitias, exemplo Lazari, sinus Abrahæ & beatitudo excipiet. (e) Nescis, ô homo, struere divitias. Si vis dives esse, esto pauper sæculo, ut sis dives Deo. Dives fidei, dives est Deo. Qui dives est in misericordia, hic est dives in Deo. Dives in simplicitate, dives Deo est. Dives sapientiæ & scientiæ, dives est Deo. (f) Ille verè est dives, qui in Deo dives est; qui magis misericordiâ opulentus quàm divitiis, facultates suas cum pauperibus dividit; qui locupletem se, dando magis, quàm habendo, ostendit; qui ad hoc se meminit habere divitias, ut fœneneretur Deo, pascat Christum, vestiat Dominum; qui patrimonium suum non ingrato hæredi quærat re-

(e) *Maximus hom. de Martyrib.*
(f) *Ambr. de Nabuthe c. 14.*

linquere, sed per pauperes illud desideret commodare; qui desiderat potior esse opere, quàm suæ substantiæ facultate; qui thesauros suos ad superna transmittit; qui ad hoc vivit, ut operetur. (g) Nostræ sunt divitiæ cœlestes ac divinæ: illic noster municipatus est, eò quòd homo ad imaginem Dei conditus. Pecuniæ autem & possessiones aliena sunt; divinorum bonorum fruitio & participatio Dei nostra sunt. (h) Hæc bona sunt, thesauri interioris hominis, gemmæ non arcæ tuæ, sed conscientiæ tuæ. His ama dives esse, quas divitias nec naufragio possis amittere: unde si nudus exieris, plenus eris. (i) Qui diligit argentum, non satiabitur argento, nec est finis acquisitionis eorum. Si quæris thesauros, accipe invisibiles & occultos, quos in cœli altissimis, non quos in terrarum venis requiras. (k) Tantùm dilige & quære bonum virtutis; quia quod quæris, intus ha-

(g) *Chrysost. hom. de miser. & duabus viduis tom.* 5. (h) *Theophilact. in Luc.* 16. (i) *Aug. serm.* 5. *è* 40. *novis.* (k) *Ambr. l.* 1. *de Cain & Abel cap.* 5.

bes. Thesaurus namque summæ bonitatis non alibi quàm in suis amatoribus consistit. (*l*) Tantæ sunt virtutis opes atque copiæ, ut qui has habuerint, nunquam eas velle possint cum universa terra commutare, ne si illa quidem aurum fiat cum mari & fluminibus & montibus. (*m*) Melior est incomparabiliter justitia quàm pecunia, quòd illa ditet & repleat arcam, hæc animam. (*n*) Quid ergo quæris divitias, quæ oculis humanis & carneis blandiuntur? Lucet aurum, sed plus lucet fides. Elige quid in corde habere debeas. Intus plenus esto, ubi divitias tuas Deus videt, homo non videt. (*o*)

III. Cùm hoc genus rerum (*aurum & argentum*) Dominus in Euangelio Mammona iniquitatis appellat, significat esse alterum mammona, id est, alias divitias, quas nisi justi & boni possidere non possunt; ut ideò mammona iniquitatis vocetur, quia iniquitas eas vocat divitias. Justitia verò no-

(l) *Cyrill. Apol. moral. l. 3. c. 9.* (m) *Chrysost. l. 2. adversus vitup. vitæ monast.* (n) *Bern. ep. 23.* (o) *Aug. serm. 212. de Temp.*

vit esse alias divitias, quibus homo adornatur interior, sicut beatus Petrus dicit, Qui est ante Deum dives. (1. Petr. 3.) Illæ justæ dicuntur divitiæ, quia bonis meritis justisque tribuuntur. Illæ veræ dicuntur divitiæ, quia quisquis eas habuerit, non egebit. Istæ verò injustæ divitiæ, non quia injustum est aurum & argentum; sed quia injustum est eas putare divitias, quæ non auferant egestatem. (a) Pecunia est, quam nomine divitiarum nominat iniquitas. Si enim veras divitias quæris, aliæ sunt. Talibus Job nudus abundabat, quando in Deum cor plenum habebat, & laudes Deo, perditis omnibus rebus, tanquam gemmas pretiosissimas proferebat. Ipsæ sunt veræ divitiæ; istæ autem ab iniquitate appellantur divitiæ. Habes illas; non reprehendo: hæreditas venit: pater tuus dives fuit, & dimisit tibi. Honestè acquisisti, de justis laboribus plenam domum habes; non reprehendo. Tamen etiam sic noli illas dicere divitias. Nam si dicis illas divitias, amabis illas. Et si amaveris illas, peri-

[a] *Aug. hom.* 30. *ex* 50.

bis cum illis. Perde, ne pereas: dona, ut acquiras: semina, ut metas. *(b)* Nullus enim plus perdit, quàm qui seipsum perdit. Quid enim est quod possides, quando avaritia te absorbet? Ignis nunquam dicit, Sufficit: neque cupiditati satis fuit unquam. *(c) Ideò qui salutis suæ studiosi, qui Christi discipuli sunt, falsas fallacesq́ mundi divitias generosè spernunt, solis cœlestibus & divinis intenti. Hilarion, notißimus ille ab opum contemptu, vita sanctitate, miraculorum frequentiâ, Candidatum quemdam Constantii Imperatoris gravi nequitiæ spiritu liberarat: Offert hic Thaumaturgo decem auri libras; at vir sanctus, hordeaceum proferens panem,* Qui tali cibo aluntur, *inquit,* non pluris æstimant aurum, quàm lutum. *(d) Sancti Martyres Olympiades & Maximus, jußi à Decio tyranno tradere facultates,* lubenter, *inquiunt:* Nostræ enim facultates & aurum, Christus est. Ad hunc accedito, & veris divitiis abundabis. *(e) Euphrasia virgo, à Theodosio Imperatore, quem san-*

(b) *Aug. de verb. Dom. serm.* 35. (c) *Cyrillus Apol. mor. l.* 3. *c.* 3. (d) *Hieron. in vita Hilarion.* (e) *Lippeloo.* 15. *April.*

guine contingebat, Ordinis senatorii Principi viro fuerat desponsa jam tum quinquennis: at illa maturior ætate, sumpto religionis velo, immortali sponso fidem obstrinxit; repetenti, promittentiq; Imperatori opulentam dotem, si acquiesceret; Opes, *inquit*, meæ Christus est: tu tuas aliis dato. (*f*) *Sic, sic decet sanctâ quadam superbiâ, ut cum Paulino loquar, mundum ejusq; pompas contemnere. En ejus verba scribentis* (*g*) *ad Amandum sanctum pariter Episcopum:* Est autem & sancta superbia.. Nam & justificatur superbia, quæ huic mundo superbit, & contemnit hoc sæculum, omnibusque magnis ejus & dulcibus ac speciosis abutitur (*idest, non utitur, sive, ut vilia & se indigna contemnit*) intenta cœlestibus rebus, & præceptis subjecta divinis. *Ita sanctè superbiebat humillima Lydwina, cùm quibusdam summam, quam forti hilariq; animo ferebat, penuriam reprehendentibus, responderet:* Satis abundat, qui eo quod habet contentus est. Etsi autem mihi cum hominibus communes non sunt divitiæ & delitiæ;

(f) *Beyerlink Apopht. v. divit. cont. Sur.* 13. *Mart.* (g) *Ep.* 2.

sunt tamen cum multis communes paupertas & miseria: quibus ego abundans, Deo gratias ago, & conquiesco; (h) *quiete utique expetendâ* super aurum & lapidem pretiosum multum, (i) *ut qua in Deo, summo bono, & bonorum omnium fonte, consistat. Quietem illam, & veras divitias gratulatur, eleganti epistolâ, Nolanus Præsul Alethio juveni genere illustri, qui defunctâ Ruffina conjuge, nobilissima illius Paulæ Romanæ filiâ, opibus suis in subsidium pauperum erogatis, contemptum mundi profitebatur. Sic autem inter alia, ditissimus opum contemptor, Paulinus:* Beatus es, in quo benedicitur nomen Domini, & qui habes semen in Sion, & domesticos in Jerusalem, qui te vicissim in tabernacula æterna suscipiant.... Tibi felix à peccatis egestas, & beatæ in virtutibus opes sunt. Tu & inter illos pauperes jure numeraberis, quorum est regnum cœlorum, & inter illos divites, quorum possessio civitas firma est, quia spiritu Dei dives es, & tuo pauper. Tales enim divites cum pauperibus suis

(h) *Sur. 14. Apr. vita p. 2. c. 1.*
(i) *Ps. 18.*

diligit Deus, & sacris litteris celebrat, paginarumque perennium authoritate nobilitat.... Cum his divitibus tibi sors est, quia eundem Deum divitiarum tuarum causam esse meministi, liber avaritiæ, quia servus justitiæ. Iniquo mammonâ justè uteris; nec captivus, sed verè dominus es pecuniæ tuæ, quia possideris à Christo, cui captiva est ipsa captivitas.... Perge quò curris, ut apprehendas, in quo apprehensus es: enitere per angustam viam, ut pervenias in amplam possessionem hæreditatis æternæ. *Hæc Alethio Paulinus, qui & Severo Sulpitio scribens,* (k) Nihil, *inquit*, habemus nisi Christum; & vide si nihil habeamus, qui omnia habentem habemus. *Vnde & theodidactus Thomas*: Cùm Christum habueris, dives es, & sufficit tibi. Ipse erit provisor tuus, & fidelis procurator in omnibus, ut non sit opus sperare in hominibus. (*l*) Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus. (*m*) O Domine Deus meus, ô Domine Deus noster, ut veniamus ad te, fac nos beatos de

(k) *Ep.* 5. (l) *De imit. Christi l.* 2. *c.* 1.
(m) *Ps.* 143.

te. Nolumus de auro, neque de argento, nec de fundis: nolumus de terrenis iſtis vaniſſimis, & de caducæ vitæ tranſitoriis. Non loquatur os noſtrum vanitatem. Cùm tenuerimus te, nec te perdimus, nec nos perimus. Fac nos beatos de te, quia beatus populus, cujus eſt Dominus Deus ipſius. (*n*)

(n) *Aug. de verb. Dom. ſerm.* 35.





CONCLUSIO.

NOlite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. (*a*) Quia omnia hæc conſpectui noſtro inſidioſis coloribus lenocinantur. Vis illa oculorum attributa lumini, non applicetur errori; & cùm vitæ uſibus pateat, non admittat cauſas mortis. (*b*) *Legiſti, mi Chriſtiane, & attentè, uti quidem exiſtimo, perpendiſti, quæ Conſiderationibus hiſce complexi ſumus ex divinorum Codicum, Patrum, aliorumq; Scriptorum effatis atque hiſtoriis, adverſus* Concupiſcentiam oculorum, *malorum omnium radicem; deprehendiſti divitiarum terrenarum vanitatem, inſtabilitatem, cupiditatem inſatiabilem, tyrannicam ſervitutem, pericula, abuſum exitialem; contrà verò, obſervaſti quæſtuoſam illarum profuſionem,*

(a) 1. *Ioann.* 2.
(b) *Eucher. parænet.*

contemptum fructuosum, paupertatis thesaurum, veras denique uniceq; sectandas divitias. Nec dubito, quin & juxtà cum *sacris illis oraculis, ut hominem, ut Christianum addecet, sentias, eas quas malè mundus nuncupat divitias, efflictim concupiscit, insanè prosequitur, omni aggerat servatq; studio, re ipsâ divitias non esse; nec incerta illa, quæ fortunæ vocant bona, bona esse, ut quæ animum non satient, possessorem bonum non efficiant, non comitentur custodem: nihilq; ab illis utilitatis dimanare, nisi humano Christianoq; consilio, in rectum, ob quem à bonorum omnium largitore Deo commodata sunt, convertantur usum; expendantur in ejusdem naturæ, legis, atque divinæ promißionis ac spei participes: quorum inopiam cùm sublevamus, Deo ipsi sua bona reddimus, multiplici fœnore recepturi etiam æternùm, vel Christo ipso profitente sibi fieri, quæ suis fratribus (hoc nomine egenos dignatur) ex charitate collata fuerint. Verùm qui Servatoris, propter nos egeni facti, intuitu & imitatione, bonis illis omnibus sese generosè abdicant, præferuntq; voluntariam rerum terrenarum inopiam mundanæ affluentiæ, næ ii beati atque adeò bonorum omnium*

ditissimi ab incarnata Sapientia prædicantur, & ex vero sunt; quia mundo vacui, Deum possident, continentem & disponentem omnia, quiq; curat ut nihil desit timentibus eum. O felices inopes, quasi nihil habentes, & omnia possidentes! *quorum* Deus portio est, & hæreditas: *qui summam Christi paupertatem sectantes*, recipient multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam. (c) *At enim ad veram illam actu ipso sectandam paupertatem non sentis te moveri; nec, ut fortè cuperes, liceret, istis rerum conditionibus, felicem istam sortem amplecti: exue saltem noxium omnem atque sollicitum erga divitas affectum; iis utere, non fruere.* Temporalibus (*inquit magnus Augustinus*) (d) magis utendum est, quàm fruendum, ut frui mereamur æternis. Non sicut perversi, qui frui volunt nummo, uti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. Fœnerare Domino; misertus pauperis; *debitorem se tibi præstabit, qui, qua tibi donavit, à te per manus pauperum recipiet Deus*, misericor-

(c) *Luc.* 18. (d) *L.* 11. *de Civit. c.* 25.

diam volens, & non sacrificium. (*e*) Neque enim ullus omninò cultus Deo perinde gratus est, ut misericordia (quandoquidem nec aliud quidquam est, quod Deo magis conveniat, utpote quem misericordia & veritas præcedant, & cui misericordia ante judicium offerenda sit) nec ulli alii rei potiùs, quàm benignitati benignitas à Deo rependitur; qui justè remetitur, atque in pondere & mensurâ misericordiam ponit. (*f*) Conclude igitur eleëmosynam in sinu pauperis; & hæc prò te exorabit ab omni malo; (*g*) Fac tibi amicos de mammona iniquitatis. (*h*) Nam si hæc bona per inopum manus in cœlum transtuleris, apparebunt sanè in tuum fuisse animum traducta, ita ut te vel morte præventum nemo his opibus fraudet: quin vitâ functus, abscedes, cœlo opulentus futurus & dives. (*i*) Enimverò duorum alterum faciendum est: ut vel omnia propter Christum deponamus, quo verè atque sincerè ip-

(e) *Osee* 6. (f) *Greg. Nazianz. orat.* 16. (g) *Eccli.* 29. (h) *Luc.* 16. (i) *Chrysost. serm. de misericordia tom.* 5.

ſum, ſublata humeris cruce, ſequamur; ac leves & expediti, nec ab ulla re in diverſum tracti, ad ſupernum mundum convolemus, Chriſtumque loco omnium rerum elucremur, propter humilitatem elati, & propter egeſtatem locupletati; vel certè cum Chriſto opes noſtras partiamur, ut ipſæ honeſtè poſſeſſæ, & cum iis, qui paupertate conſtricti ſunt, communicatæ, ſanctitate quadam imbuantur. (*k*)

Sed, inquis, ego quidem bonis, dum vixero, frui volo: poſt mortem verò in teſtamento hæredes facultatum mearum ac dominos, pauperes adſcribam. Heu miſer! tunc benignus ac liberalis hominibus eris, cùm ampliùs inter homines non ages? cùm te cadaver aſpiciam, tunc fratris amantem appellabo? Scilicet magnâ dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitûr aut gratia, ſi in ſepulchro jacens & in terram converſus, magnificus ac ſumptuoſus apparebis. Dic, cujus mercedem temporis potiſſimùm expoſces? vitæne an mor-

(k) *Nazianz. orat.* 16.

tis? Nam si tempore, quod ad promerendum datur, in voluptatibus ac delitiis absumpto, pauperes nequaquam respexisti, mortuus cujusnam actionis aut operis mercedem petiturus es? Ostende opera, & tum primùm mercedem repete. Nullus enim post mercatum solutum negotiatur: neque demum post certamen accedens coronatur: nec post bellum fortia gerit: nec item post vitam, pietatis laudem præmiúmve capiet.... *Quid igitur* miser, teipsum decipis? nunc opibus in luxu vivendo abutens, ac tibi ea promittens, quorum posteà dominus non eris. Pravum hoc est consilium, quod capis. Vivens, ais, bonis fruar: decedens, quæ animo constitui ordinavique, faciam. Erras, homo. Tunc Abraham tibi quoque dicet: Recepisti bona in vita tua. Si arcta est via quæ ducit ad vitam, non te divitiis oneratum ac opum sarcinam ferentem excipiet. Gestans divitias tuas hinc egredieris. Non enim illas abjecisti, ut jussus es. Cùm viveres, vitæ æternæ te prætulisti: post mortem facies, quod hostes so-

lent. Etenim ne ille vel ille quem nolis, accipiat facultatem tuam, accipiet illam, inquies, Dominus..... Morti ergo, non tibi, sit gratia. Si enim immortalis esses, nunquam mandatorum recordatus esses. Nolite errare: non decipitur, non deridetur Deus. Mortuum ad rem sacram non offertur. Viventem offer hostiam. Qui ex eis quæ supersunt, offert, ingratus est. Tu verò post mortem quæ supersunt, Deo omnium præbitori tribuis? Si tu nobilem hospitem domi exciperes, eíne mensæ reliquias apponeres? Quomodo ergo existimas, ex repotiis Deum placari? Igitur vos alloquor, divites ac locupletes, respicite finem, à cupiditate desistite. Si possidetis, non amate. Quantò amantior fueris, tantò plus eorum, quæ ad te nihil pertinent, nihilque profutura sunt, relinques. Volo, tecum feras omnia, ne alienis relinquas... Bonum sepulchrum est pietas. Omnibus tuis ornatus hinc discede; fac, ornent te tuæ divitiæ. Habe illas penes te. Crede optimè consulenti, teque amanti JESU Christo, qui ob

nostram salutem egere voluit, ut ex ejus paupertate nos divites essemus: qui etiam sese pro nobis redimendis pretium obtulit. *Hactenus magnus Basilius:* (*l*) *cui consonat Chrysostomus, atque inter alia*, Non est, *inquit*, istud pecunias contemnere, quòd jam moriturus, nec dominus cujuscumque rei existens, vel isti vel illi aliquid largiris. Non ex bonis tuis jam das, sed ipsâ necessitate coactus illa relinquis. Mortis hæc est gratia, non tua: istud non est benevolentiæ, sed violentiæ imputandum. Verumtamen vel sic liberalis esto; vel sic avaritiæ passionem excutito. (*m*) Non pavisti Christum, dum viveres? Saltem abiturus hinc, quando jam non ampliùs eorum, quæ possidebas, usum ac potestatem habes, tua illi contribue; non erit, quemadmodum benignus est, curiosus aut difficilis erga te. Majoris quidem amoris signum fuerit, majoreque dignum mercede, si Christum, dum vivis, paveris: si verò istud non fecisti, vel, quod secundo loco licet, aggredere; nimirum,

(l) *Basil.hom.7.in divit.avar.* (m) *Chrysost.in ep. Ephes.ho.18.*

nimirum, relinque illum filiis tuis cohæredem. (*n*)

Eundem Servatorem audiamus, graviter mortales omnes monentem : : Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra. (*o*) *In qua verba pulchrè Origenes* : Nihil in terra firmum, nihil stabile, nihil tutum: omnia infirma, omnia caduca, omnia temporalia & transitoria. Vita pertransit, juventus senescit, honor aufertur, divitiæ fugiunt velut aliquis fugitivus, divertentes ab alio in alium transeunt, meretricio more amorem fingentes, & nulli fidem servantes... Quid adjuverunt Pharaonem illi plures thesauri Ægyptii? Nónne repentè in maris profundo absorptus est? Quid adjuverunt Nabuchodonosor Regem totius pariter orbis divitiæ congregatæ, & in Babyloniam translatæ? Nónne elisus est de throno gloriæ suæ, & de medio hominum subitò separatus est?.. Quid adjuvit Balthasar filium ejus, quòd ipse post patrem suum innumerabiles terrenas congregavit divitias? Nónne percussus statim in eadem nocte periit? Quid dicemus de

(*n*) *Chrysost. in ep. Rom. hom.* 18. (*o*) *Matth.* 6

aliis multis, qui illi ſimilantur, de quo in Euangelio ſcriptum eſt, quòd horrea ſua deſtruens, majora ædificare quærebat, ſibimetipſi dicens : Habes multa bona multis theſaurizata annis? Propterеà, iſta qui colebat, relictis aliis, ablatus eſt, & illa quæ remanſerant, ad alios ſine dubio tranſierunt. Nolite theſaurizare vobis theſaurum ſuper terram, hoc eſt, Nolite defodere ſenſus veſtros cum divitiis *in* terra. Nolite recondere cor veſtrum cum pecunia in perditionem ; quia multa pericula in theſauris ſunt, multa offendicula in humanis divitiis... Theſaurizate vobis theſaurum in cœlo, ubi theſaurizaverunt ſibi Beati omnes Deum diligentes. Ibi theſaurizavit ſibi Abraham per hoſpitalitatem ; Job per egenorum miſerationem. Illic theſaurizavit ſibi Samuel per juſta judicia ; ita David, omneſque Sancti : quorum veſtigia ſequentes, & vos omnes theſaurizate vobis theſauros in cœlo. (*p*) Nimirum inde fit ut nihil reputentur temporalia, ſi præ oculis habeantur æterna. (*q*) Qua-

(p) *Orig. in diverſos hom.* 4.
(q) *Guarric. De S. Benedicto ſer.* 4.

propter ſi honoribus opibuſque capimur, veris opibus, veris honoribus excitemur. Optimus quiſque in cœleſtes honores, in cœleſtes opes, terrenos honores, terrenas opes transfert; illuc utique, ubi bonorum ac malorum ſumma & inconfuſa diſcretio eſt; ubi, quod ſemel adipiſcimur, ſemper tenemus; ubi, ſi locus obtinendi ullus fuerit, amittendi nullus erit. (r)

In cœleſtibus debet eſſe habitatio tua; & ſicut in tranſitu, cuncta ſunt aſpicienda. Tranſeunt omnia, & tu cum eis pariter. Vide ut non inhæreas, ne capiaris, & pereas. (s) Chriſtus theſaurus tuus aſcendit in cœlum; ibi ſit & cor tuum. Inde ducis originem; ibi habes Patrem & hæreditatem; inde expectas Salvatorem. (t) Hoſpes es hîc & peregrinus; patriam habes in cœlis. Illuc omnia tranſmitte, ut & antequam fruaris, hîc retributionem capias. Qui enim bonâ ſpe alitur, & de futuris confidit, hîc jam regnum guſtavit. Nihil enim tantum animam reparare conſuevit, & meliorem fa-

Aa 2

(r) *Eucher. paræn.* (s) *Kemp. de imit. l. 2. c. 1.*
(t) *Guarric. ſer. de Aſcens. Dom.*

cere, quàm bona futurorum ſpes, ſi eò transmittens divitias, animæ tuæ curam cum otio congruo egeris. (*u*) Si vis eſſe quietus, nihil ſæculi appetas. Semper requiem mentis habebis, ſi à te curam mundi abjicias, ſemperque quiete æternâ fruêris, ſi te à ſtrepitu terrenarum rerum abſtraxeris. (*x*) Surſum cor. Quid ponimus cor in terra, cùm videamus, quia evertitur terra? (*y*) Cor humanum in deſiderio æternitatis non fixum, nunquam ſtabile eſſe poteſt: ſed omni volubilitate volubilius, de alio in aliud tranſit, quærens requiem, ubi non eſt. In his autem caducis & tranſitoriis, in quibus ejus affectus captivi tenentur, veram requiem invenire non valet; quoniam tantæ eſt dignitatis, ut nullum bonum, præter ſummum bonum, ei ſufficere poſſit. (*z*) Dico igitur Domino Deo: Deus meus es tu. Et dicit mihi Dominus: Ego Dominus Deus tuus. Homo, cujus Deus eſt, quid ampliùs quærit? *Si*

[u] *Chryſoſt. ho.* 2. *ad Pop.* [x] *Iſid. Hiſpal. de norma vivendi n.* 16. [y] *Aug. de verb. Dom. ſer.* 29. [z] *Aug. Manuali, c.* 25.

ſufficis tu Deo, ſufficiat tibi Deus. Bonorum tuorum Deus non indiget, nec conferre potes ei quidpiam, nec auferre... Quid tu ei quaſi indigo conferres? Te ſolùm bonitate non neceſſitate deſiderat... Eſto tu Dei, & erit tuus Deus tuus. (*aa*)


Ergo anima noſtra, quæ Deo vult appropinquare, elevet ſe à corpore; ſemper illi ſummo adhæreat, illi bono quod eſt divinum, quod eſt ſemper... Et ideò terras fugito, in quibus invidia eſt, ubi ambitio... Boni illius capacem ſe anima tua præbeat, ut ſupra nubes volet... exuat vetera, abjiciat erroris deſideria, abluat oculos ſuos, ut videat illum fontem veræ ſapientiæ, illum fontem vitæ æternæ, qui affluit atque exundat omnibus, nullius indigens. Quis enim dedit illi, cùm ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo omnia ſint? Vitæ igitur fons eſt ſummum illud bonum, ex quo vivendi ſubſtantia miniſtratur omnibus... Quis autem peculiatus ad vitam æternam tranſit, niſi virtutum fultus peculio? quod receptum omnibus, ſolis divitibus

[aa] *apud Cyprian. de Aſcens. Dom.*

impossibile pronuntiatur. Non ergo his (*terrenis*) uti, beatum est; sed illud videre, quo ista despicias, & vana veris refellas, atque inania & cassa judices; illam nudæ veritatis pulchritudinem diligas, quæ has sæculi fucosissimas vanitates redarguat. Erige igitur oculos, anima, tuos: (*bb*) ne respicias in vanitates & insanias falsas. (*cc*) Qui temporalia bona, qui sæculi gaudia peritura sectatur ac diligit, quæ & quanta sit multitudo supernæ dulcedinis, non didicit. Quis enim, cui Deus dignatur esse possessio, aliquid aliud quærit? aut quis non pro amore illius, omnia quæ putantur magna, contemnit? Ergo qui vult Deum possidere, renuntiet mundo, ut sit illi Deus beata possessio. (*dd*) Fit nobis ipse possessio, si sæculum relinquamus, si possessioni terrenæ labili renuntiemus, si hæreditatem caducorum respuamus, si viventes de sæculo exeamus. (*ee*)

(bb) *Ambr. ep. 11. ad Irenæum.* (cc) *Ps. 39.*
(dd) *Prosper de vita contempl. l. 2. c. 16.*
(ee) *Hilar. in Ps. 118. litt. Heth.*

FINIS.


VITTORIO
EMANUELE
IN ROMA

